M. Michaelis Mæſtlini

Gœppingenſis, in Tubingenſi Academia Mathematici

ALTERVM EXAMEN NOVI PONTIFICIALIS GREGORIANI KALENDARII, QVO EX IPSIS

fontibus demonſtratur, quòd nouum Kalendarium omnibus ſuis partibus, quibus quàm rectiſſimè reformatum vel eſt, vel eſſe putatur, multis modis mendoſum, & in ipſis fundamentis vitioſum ſit.

QVO AVTHOR VNIVERSOS MATHEmaticos, qui vel primùm confecere nouum illud Kalendarium, vel defendêre hactenus, audacter prouocat, vt niſi Impoſtores, & publicæ pacis in S. Romano Imperio turbatores haberi velint, ad hoc Examen reſpondeant. Aut ſi reſpondere nequeant: vt ſe nimis temerario applauſu, & præcoci conſilio hoc Kalendarium collaudaſſe, atq; paſſim ad recipiendum perſuaſiſſe, ingenuè pro communis Patriæ ſalute, agnoſcant.

TVBINGÆ,
Apud Georgium Gruppenbachium.
M. D. LXXXVI.

PRÆFATIO AD CAN-
DIDVM LECTOREM.

RECTISSIME SENECAM DIXISSE, quòd omne vitium habeat patrocinium ſuum: quotidiana rerum experientia teſtatur. Nullum enim vitium tam grande eſt, quod ſub virtutis ſpecie ſe non venditet: Nihil tã vitioſum in publicũ profertur, quod non apud aliquos & excuſationem & patrocinium inueniat. Sed vt res alias ſilentio præteream: Cùm initio nouum Papale Kalendarium in lucem prodiret, ego quidem mihi nunquam perſuadere potuiſſem, quòd tam longè lateq; per Europam ſpargi, ſepere, radicesq́ue agere poſſit, quandoquidem in fundamentis nihil certitudinis, nihil laudabile, nihil boni ei ineſt. Vnde apud me certus erã, quòd Mathematici, poſtquam putridas eius radices aſpexerint, haud dubio mox ſint eas toti Mundo demonſtraturi, ſimulq; totum Chriſtianum orbem ab eius receptione dehortaturi, ne ſcil. ipſa pro veteri Kalendario, paulo aliter iam, quàm olim, ſe habenti, aliud nouum vitioſiſſimum protrudant, cuius ſurculi vredine corruptiſſimi multorum malorum cauſa fiant. Sed ecce contra omnem ſpem, nullus Mathematicorum in publicum progreditur, qui de veritate ſufficienter, pro vt par eſt, teſtetur: At contrà potius non pauci inueniuntur, qui de hoc Kalendario, tanquam de re optima, vtiliſſima, & ſaluberrima mirificè gloriantur.

Quid hic mihi faciendum ſit, propè ignoro. Dum enim ad alias ſcientias reſpicio, video eas ad ſummum faſtigium aſcendiſſe, vnde de fœlicitate huius ſeculi omnes bonos gaudere poſſe exiſtimo. Sed ſi conſidero, quòd Mathematicorum nullus abſurditates iſtas, quibus nouum Kalendarium laborat, pro dignitate excipit, licet ſemina palpabilium eius errorũ partim alibi, partim in mea Dialexi germanica anno 1583. edita habeantur: in diuerſam rurſus rapior ſententiam, vt in ſeculo hoc felici, infelicitati Mathematicæ diſciplinæ condoleam, quòd in tanta Mathematicorum turba,

nullus inuenitur, qui præſenti huic malo ſe opponat, ne tot regna orbis Chriſtiani errore inuoluantur, falſoq; perſuadeatur, quòd nouum Kalendarium recipiendum, nullius imperfectionis coargui queat, ſed potius, pleniſſimè præſtet, quæcunq; à reformato Kalendario exoptari poſſint. Tacentibus ergo reliquis, ego tacere non poſſum: Sed, quoniam intelligo Kalendarij huius receptionem à ſuis patronis maius ſubinde & fortius patrocinium, præter meritum conſequi: quoniam video eos pluribus ſemper commendationibus hoc opus extollere: quoniam animaduerto receptionem eius paulatim magis magisq; ſeuerè vrgeri: intermittere non potui, quin præter meam Dialexin priorem, hoc nouum alterum Examen alijs quoq; communicarem, & hoc ipſo Mathematicos eos, qui Kalendarij huius noui ſunt vel autores, vel tam acerrimi defenſores, temeritatis ſuæ, nec non officij ſui admonerem. Nemo enim eorum factum probabit, quo totum hoc noui Kalendarij opus non prius ad lydium lapidem, ſicut hoc Mathematicos facere & decere & debere ſciunt, examinârunt: quam præcocibus conſilijs (quæ ab ipſorum non paucis, & quidem tanquam à iuratis, non præcocia, ſed benè deliberata petita ſunt) alijs receptionem eius perſuaſerunt. Hæc autem ea ſpe fretus publicare volui, quia ſpero Mathematicos illos hoc ſcripto ex veterno tandem exuſcitatos errorem ſuum agnituros, Deoq; gloriam daturos, atque ſententiam ſuam antea temerè conceptam, iam piè pro patria ſalute emendaturos eſſe. Confido alios quoq;, quos patriæ ſalus tangit, vbi hanc noui Kalendarij imbecillitatem perſpexerint, de qua nihil tale ipſi prius à ſuis audiuerant, haudquaquam vltrà ei ſe credituros eſſe, quis enim ſciens & volens errore ſe, ſuosq;, adeoq; totum Chriſtianum orbem inuolui pateretur? Deus Opt. Max. gratia ſua his adeſſe, ſuaq; clementia, quicquid mali ex vitioſo hoc Kalendario originem trahit, impedire, auertere, & abolere velit.

Tu Lector candide lege hæc, perpende, & da gloriam Deo. Vale.

DEMONSTRATIO NECESSARIA ET PERSPICVA: QVOD NOVVM PONTIFICIALE GREgorianum Kalendarium omnibus ſuis partibus, quibus quàm rectiſſimè reformatum putatur, multis modis mendoſum, & in ipſis fundamentis ruinoſum ſit.

VARIE DE NOVO KALENDARIO paſsim mouentur quæſtiones & diſputationes, quibus ipſum à nonnullis, præſertim à pontificijs non modo approbatur, ſed acerrimè etiam defenditur: ab alijs aũt tanquam receptu indignum, multis modis impugnatur. Potiſsimum aũt Pontificiorũ argumentum cõſiſtit in accuſando vetus Romanum ſeu Iulianũ Kalendarium multiplicis imperfectionis, in quam diuturnitate temporis ſit prolapſum: Et contrà in commendando Kalendarij noui perfectam reformationem, qua non ſolum omnia erronea ſint ſublata, ſed etiã futuro tempori tanta prouidentia ſit proſpectũ, vt Kalendarij huius calculus nullo vnquam tempore in PERPETVVM vlli mutationi obnoxius eſſe videatur. Hinc ridiculos eos eſſe putant, qui vetuſtatis amore mendoſum illud, imperfectum & collapſum Kalendarium Iulianum, nouo huic reſtituto, perfectiſsimo & omnibus numeris abſolutiſsimo, præferunt. Quanquam autem à diuerſum ſentientibus huic & alijs Pontificiorum rationibus multa (& rectè quidem) opponantur, qualia ſunt: De libertate Chriſtiana, an Eccleſia ad certum tempus ſecundum Aſtronomicum calculum reformatum, ſit alligata in feſtiuitatum annuarum celebratione? An Pontifici Romano liceat tempus & Kalendarium reformare? An Chriſtiana Eccleſia teneatur Religionis neceſsitate illud Kalendarium recipere, quod prima ſua origine à Pontifice Romano eſt oriundum, licet id poſtea ſub alio titulo offeratur? Item, an conducat, vt propter pacis & concordiæ conſeruationem, in contractibus & negociationibus, altera pars ſe eidem Kalendario ſubmittat, cui Pontifex ſuos ſubiugauit, & alijs multis, vt idem facerent, perſuaſit? &c. Quanquam, inquam, hæ & aliæ non paucæ diſputationes Pontificijs rectiſsimè opponantur: interim tamen, quoniam inſtare non eſt ſol-

Potiſſimum noui Kalendarij patronorum argumentum: vetus Kalendarium eſt erroneum, nouum autem perfectiſſimum: ergo illud eſt abolendum, & hoc recipiendum.

uere, ſcrupulus principalis illius argumenti in animo relinquitur. Nam quod perfectum, & ab omnibus mendis repurgatum eſt, occultũ ſemper & quaſi tacitum fauorem ſibi conciliat: At contrà deſenſio rei imperfectæ, aut in totũ falſæ, ſemper ſuſpecta eſſe videtur.

Propoſitio.

Quid ponderis igitur hoc Pontificiorum primarium fundamentum habeat, libeat mihi, tanquam Mathematico, mathematicè per calculum Aſtronomicum, ex quo ſolo hęc cauſa decidenda eſt, quia inde originem ſuam deduxit, examinare. Alię verò cauſæ, quę pium animum ab hoc Kalendario nouo abſterrere & debent & poſſunt, explicatę ſunt ſcriptis publicis, cùm ab alijs magnis viris præclare, tum etiam à me peculiari quadam Exegeſi ſeu Dialexi, quæ Anno 1583. Heidelbergæ vernacula lingua Germanica excuſa eſt. Quòd ſi ergo noui Kalendarij calculus Aſtronomico calculo ſatisfacere deprehendatur: non immeritò ipſius autor ſua commendatione, tanquam vir ſatis acuti ingenij, non erit priuandus. Sin contrà: tum poterunt Pontificij mox ſibimet ipſis prędicere, quodnam ſit omnium rectè ſentientium futurum iudicium de reliquis ſuis fundamentis, quibus ipſi hanc ſuam nouam creaturam tantis laudibus efferunt.

Occaſio ſcripti huius.

Agam autem hoc ſcripto, ſepoſitis omnibus alijs diſputationibus, tantummodo de illo principali Aſtronomico Argumento, tanquam Mathematicus cum Mathematicis, & quidem cum ſolis ijs, qui Kalendarij huius noui ſunt vel Autores, vel Patroni (cum reliquis mihi negocium non eſt, niſi, quod plane mihi perſuadeo, eos in hoc vnanimiter mecum ſentire.) Et hoc eò libentius, maioriq; cum promptitudine, quòd per fide dignos quoſdam mihi nunciatum eſt: quendam magnæ exiſtimationis Mathematicum in mandatis habere, vt meum ſcriptum, ſeu Dialexin illam Germanicam, Anno 1583. publicatam, refutet. Quam refutationem ego quidem magno deſiderio hactenus expectaui, ſed videre non potui. Quare vt ille Mathematicus, quiſquis ſit, habeat quod agat, &, ſi in noui Kalendarij defenſione adhuc perſiſtit, nouiſſe poſsit, quónam ſe conuertere debeat, ſi gloriam victoriæ & triumphum de me reportare volet: ego illi meæ Dialexi (quam hic vno verbo totam repetitam volo, non enim eorum, quæ ibi ſcripſi, me pœnitet) hoc ſcriptum præſens, velut Supplementum adiungam. Quod vt legat & examinet cupio. Rogo autem & obteſtor eum, vt vel ipſe, vel quicunque alius ex ſuis complicibus, Kalendarij noui defenſoribus, mihi, ſi poſsibile ipſis ſit, reſpondeat. Hic Rhodus, hic ſaltus.

In

In quot capitibus noua Reformatio Kalendarij Gregoriani perpetui conſiſtat.

TRIA ſunt capita, quibus noua Kalendarij Gregoriani perpetui reformatio nititur, quæ eadem Pontifex Romanus Gregorius XIII. in Bulla ei præfixa enumerat.

I. Reſtitutio & copulatio æquinoctij verni in 21. diem Martij, tali adhibita cautela, vt inde, velut à propria & fixa ſede, nunquam, vſque in perpetuum poſsit recedere.

II. Correctio aurei numeri per Cyclum Epactarum, ea ratione, vt Epactarum numeri non modò ſingulis omnium annorum menſibus diem nouilunij: verùm etiam, & quidem principaliter Terminum Paſchalem, hoc eſt, certum diem proximi plenilunij poſt Aequinoctium vernum verum ſequentis, quotannis infallibiliter demonſtrent.

III. Certus dies Dominicus Paſchatis, quòd celebrari debeat die Dominico proximo à plenilunio, quod primùm ſequitur poſt Aequinoctum vernum verum.

De his Pontifex Gregorius XIII. in Bulla ſuper hoc ſuum Kalendarium: Allatus eſt, inquit, nobis liber à dilecto filio Antonio Lilio, Artium & Medicinæ Doctore, quem quondam Aloyſius eius Germanus frater conſcripſerat, in quo per nouum quendam Epactarum Cyclum ab eo excogitatum, & ad certam ipſius Aurei numeri normam directum, atque ad QVAMCVNQVE anni ſolaris magnitudinem accommodatum, OMNIA quæ in Kalendario collapſa ſunt, CONSTANTI RATIONE, & SECVLIS OMNIBVS duratura, ſic reſtitui poſſe oſtendit, vt Kalendarium ipſum NVLLI VNQVAM MVTATIONI IN POSTERVM expoſitum eſſe videatur. Hoc elogio Pontifex maximam profectò autoritatem ſuo Kalendario conciliauit. Verùm quoniam Mathematico turpe eſt Autoritatibus aliorum niti velle, ſi quando rationes præſtò haberi poſſunt: Idcircò ſingula hæc correctionis capita examinanda mihi ſunt. Vtinam idem ab alijs Mathematicis etiam eſſet factum.

Caput primum.

AN AEQVINOCTII VERNI SEDES IN nouo Pontificiali Kalendario, tam fixa ſit, in die 21. Martij, vt ab eo. NVNQVAM dimoueri poſſit.

Quid in nouo Kalendario reformatum ſit, & quomodo.

VT Aequinoctium vernũ verum ex 11. die Martij, ad quem ſua continua anticipatione deuenerat, reduceretur ad 21. Martij, quo, tempore Nicæni Concilij, fuerat, præcepit Gregorius XIII. Papa, dies 10. integros omittere. Et vt in ea die, ceu fixa ſede perpetuò hæreret, nec ſua illa anticipatione variaretur, ſtatuit, ſingulis 400. annis tres dies intercalares exterminare, &c.

I. Defectus. Impoſſibile eſt, correctionem nouam eſſe perfectam, quia ex imperfectis tabulis producitur.

Hic mox omnium primò quæritur, ex quibus Tabulis Aſtronomicis noui Kalendarij reformatio prodierit? Ipſæ enim ſolæ ſunt fundamentum eius. At eas ipſas oportet perfectiſsimas eſſe, & cum cœlo exquiſitiſsimè congruentes, quandoquidem ex eis confectum eſt Kalendarium PERPETVVM, ac OMNIBVS SECVLIS duraturum, vt Pontifex ait. Ad hoc reſpondeo: Autorem vſum fuiſſe Tabulis Prutenicis. Nam ipſum nullas nouas motuum Tabulas, ex recentiſsimis proprijs obſeruationibus fideliter extructas, quibus veterum Tabularum imperfectio reficeretur, ad manus habuiſſe, euidentiſsimè tàm ſuo, quàm aliorum alto ſilentio demonſtratur. Certè ſi Tabulas nouas ipſi habere licuiſſet, quis dubitat, quin magnoperè de eis fuiſſet gloriatus? ſiquidem ſi quicquam ad commendationem huius operis facere potuiſſet, ipſe profectò hinc & ſibi & ſuo huic operi ingentem promeritus fuiſſet. Sed & Chriſtophorus Clauius Bambergenſis Ieſuita, degens Romæ, in Commentario ſcripto in ſphæram Ioan. de ſacro Buſcho, & eodem tempore edito, quo Autor hoc ſuum Kalendarium parturiuit, correctionem hanc egregiè quidem extollit, ſed nouarum tabularum toto illo libro aſtronomico ne verbulo meminit. Quare certiſsimum eſt, nullas nouas tabulas hoc opus obſtetricaſſe.

Extant autem pro motibus cœleſtibus computandis noſtro ſeculo congruentibus nullæ aliæ tabulæ, prærterquàm Alphonſinæ & Prutenicæ, atque ex alterutris harum deductæ. Porrò de vtriſque harum cõmunis omnium Mathematicorum querela eſt, quòd etiam earum calculus cum cœlo non exactè congruat.

Hinc

Hinc ergò ſtatim in primo veſtibulo ſatis magna noui Kalendarij imperfectio comparet, quòd nimirum prima eius fundamenta vacillent. Quomodo enim fieri poterit, vt perfectum, perpetuum, omnibusq; ſeculis ſine vlla mutatione duraturum opus extruatur ex fundamento imperfecto, cui omnes intelligentes tantis deſiderijs & votis aliquem artificem precantur, qui illud ex nouis obſeruationibus reſtituat?

Sed Alphonſinarum ne, an Prutenicarum tabularum numeros ſecutus ſit Autor, hoc ſcire non parùm intereſt. Id autem colligitur ex ipſo opere. Primò quidem, dum æquinoctium vernum verum omiſsione 10. dierum, reſtituitur in 21. Martij, ſubinnuitur, quòd ipſum ante reſtitutionem fuerit die 11. eiuſdem menſis. Verùm Prutenicæ tabulæ reponunt id in 11. diem Martij, Alphonſinæ autem vno die anticipant, his enim Aequinoctium incidit in diem 10. eiuſdem. Deinde in Bulla Pontificis mentio fit ſecunda vice diuerſarum anni quantitatum, quòd ſc. noui Kalendarij Epactæ ad quamcunque anni magnitudinem ſint accommodatæ. Sed Prutenicæ tabulæ annum vertentem verum à medio diſtinguunt, cumq; alias eſſe maiorem, alias minorem, vt mox dicetur, docent, ſicut Copernicus hoc ex fundamentis demonſtrat. Alphonſinis autem tabulis hæc inęqualitas prorſus eſt ignota. Huc accedit, quòd in Cyclo Epactarum nouum hoc Kalendarium illam oppoſitionem lunę & Solis, quę in annis, quorum aureus numerus eſt 14. quam proximè ipſi æquinoctiali horę adhæret, hoc ſeculo nondum pro termino paſchali agnoſcit, tanquam quę nondum ſequatur, ſed adhuc pręcedat medio ſuo motu ingreſſum ſolis in primum Arietis punctum, de qua re infrà plura. Sed Alphonſinæ tabulæ medium hoc plenilunium iam nunc faciunt ęquinoctio poſterius, at Prutenicæ prius. Ergò in noui Kalendarij confectione autor tabulas Prutenicas Alphonſinis præferre voluit. In quo ſanè prudentior fuit, quòd eos ſequendos ſtatuit numeros, qui etſi perfectiſsimi non ſunt, reliquis tamen omnibus perfectione præſtant, alioqui enim nimis fuiſſet abſurdus.

Nunc ad rem ipſam. Autor Kalendarij reduxit ęquinoctium vernum verum, omiſsione 10. dierum, ex die 11. Martij. in 21. eiuſdem, & vt ei ſedem ibi perpetuo fixam conſtitueret, Cyclum ſiue tabulam æquationis cycli ſolaris condidit, qua ſingulis annis 400. (quibus alioqui ęquinoctia media, non autem vera, vt mox dicetur, anticipant toto ferè triduo) tres dies intercalares tranſiliantur: hac conditione ſeruata, vt omnes anni cęntenarij, quorum nu-

meri correſpondent annorum communium numeris, pro communibus & ipſi habeantur, eliſo die intercalari: oportebat enim aliàs etiam ipſos eſſe biſſextiles. Quorum centenariorum autem numerus reſpondet anni alicuius, infra centenarium, biſſextilis numero: vt is demum quoque maneat biſſextilis. Itaque ſicut poſt tres annos communes conſuetum eſt quartum biſſextilem ſequi: ita inter ipſos centenarios tres continuè ſe ſequentes, pro communibus habendi erunt, quartus verò biſſextilis retinetur. Hinc ſicut minorum numerorum infra centum, anni 17. 18. 19. 21. 22. 23. 25. &c. ſemper ſunt communes, anni autem 16. 20. 24. &c. biſſextiles, illi dierum 365. hi 366. Ita etiam in nouo Kalendario anni 1700. 1800. 1900. 2100. 2200. 2300. 2500. &c. cõmunes erunt, ſed anni 1600. 2000. 2400. &c. biſſextiles. Et hoc quidem continua ſerie in perpetuum abſque vlla intercidente inæqualitate.

2. Defectus, Aequinoctiorũ anticipatio nõ eſt æqualis: ergo non poteſt in 21. Martij permanere.

Hic nunc adeſte vos Mathematici, ac conſiderate, an ne correctio iſta cum rei veritate, & cum experientia manifeſta, videlicet cum vera anni magnitudine cõgruat, ſicut ea de re Pontifex in Bulla magnis verborum ambullis gloriatur? Aequalis quidem annus tropicus eſt dierum 365. horarum. 5. ſcrup. 49. ſec. 16. hoc eſt, à quadrante diei, ſiue à ſex horis deficit 10. minutis & 44. ſecundis ferè, vnde in annis 134. complet anticipatio vnum ferè diem, & annis 402. ferè totum triduum. At in rerum natura nobis nequaquam medius vel ęqualis, ſed verus annus apparet, vnde ad verum annum reducere ſolemus, quæcunque annuis temporibus adhærent, nec alius mediorum annorum, ſicut nec mediorum motuum vſus eſt, quàm vt nobis veros monſtrent, quibus inuentis, medios mox relinquimus. Verus autem annus aliàs, vt ex Prutenicis tabulis cognoſcitur, eſt 365. dierum. horar. 5. ſcr. 55. ſec. 53. aliàs dierum 365. horar. 5. ſcr. 42. ſec. 38. Quæ diuerſitas efficit, vt æquinoctia & ſolſtitia vera non ęqualiter ſingulis 134. annis, ſed interdum ferè 80. interdum vix 300. annis vno die retrocedant. Anno 216. ante Chriſtum natum erat Sol in æquinoctio verno vero die 23. Martij, hora 9. pomeridiana, Anno 89. poſt Chriſtum natum, hoc eſt à priore tempore poſt 304. annos, attigit Sol idem æquinoctium die 22. eiuſdem menſis, hora 9. poſt meridiem. Sic anno 1501. erat Sol in æquinoctio verno vero die 11. Martij, ſeſquihoris ante meridiem. Sed anno 1805. hoc eſt rurſus poſt 304. annos, eò redibit ſol die 10. Martij circa horam 11. meridiei. At anno Chriſti 753. Sol hoc veri æquinoctij punctum ingreſſus eſt die 17. Martij, hora

horà 2. pomerid. Indè poſt 84. annos, videlicet Anno 837. eò reuerſus eſt die 16. Martij, hora 2. p. m. Hinc manifeſtum eſt, quòd æquinoctiorum anticipatio interdum in annis 84. tanta fit, quanta aliàs in 304. annis, ſicut eadem de re in Dialexi mea germanicà, cap. 11. copioſiùs dixi. Intendat ergò Kalendarij Autor hic omne ſuum robur, & vos alij eius defenſores coniungite vires veſtras, neceſſe enim vobis eſt, vt hoc Elogium Pontificis, qui Kalendarium veſtrum ad omnem anni magnitudinem congruere gloriatur, concilietis cum illa triduana æquali in 400. annis anticipatione. Hoc enim niſi fiat, profectò æquinoctium vernum verum ex manibus veſtris elabetur ſicut anguilla, nec poteritis in ſedili ſuo, quod diei 21. Martij, magno labore affixiſtis, detinere. Quemadmodum exemplis ſequentibus hæc res magis euidenter patebit.

Anno 1600. incidit æquinoctium in diem 10. Martij, hor. 8. cum dimidia, p. m. Anno 1900. in 9. Martij, hor. 8. cum dimidia, p. m. ſecundum numeros dierum veteris Kalendarij. Vera ergò anticipatio eſt tantummodò vnius diei. Sed nouum Kalendarium his 300. annis præterit totum triduum, nimirum dies intercalares annorum 1700. 1800. 1900. Quare ſecundum eius numeros incidet hoc æquinoctium (demptis etiam 10. reliquis diebus) anno 1600. in diem 20. Martij, at Anno 1900. in 22. Martij. Præterea in annis poſt 1900. ſequentibus, hæc ipſa diuerſitas maiora habet incrementa, vt: annò 1905. qui primus eſt poſt aliquem annum biſſextilem, incidit æquinoctium in 23. Martij, horam 2. matutinam. Anno 1906. qui ſecundus eſt itidem poſt aliquem intercalarium annorum, fiet æquinoctium die 23. hora 8. antemer. & Anno 1907. 3. poſt biſſextilem, erit æquinoctium die 23. Martij, hora 2. pomerid. Videtis ergò vos, qui tantis laudibus Kalendarium hoc ſuprą aſtra attollitis, & ſedem fixam in eo pro æquinoctio celebratis, quòd æquinoctium hoc vobis nimis ſit lubricum, quàm vt in 21. Martij detineri poſſit.

Aequinoctium die 20, 22. 23. Martij.

Sed quid multis? Quid iactat Kalendarij Autor, Pontifex, & eorum aſſeclæ, huius Kalendarij perfectionem? Cùm tamen præſentium, quibus iam viuimus, annorum experientia eam falſitatis coarguat? Nec enim omiſſio 10. dierum reduxit æquinoctium plenariè in 21. diem Martij. Nam hoc noſtro tempore ipſum incidit omni intercalari anno, non in 21. ſed in 20. Martij. Vt: Anno 1584. erat illud in 20. Martij hora 10. noctis. Anno 1596. idem

Aequinoctiū iam nunc noſtro ſeculo aliquoties eſt in 20. Martij.

erit hora 9. noctis eiuſdem diei. Anno 1612. hora 8. & 1624. hora 7. pomerid. eiuſdem 20. diei Martij, & ſic conſequenter. Quin etiam poſt annum 1640. aſcendet æquinoctium etiam in ijs annis, qui primi ſunt poſt intercalares, in eundem diem 20. Martij. Itaque ab eo anno venient omnium biſſextilium, & omnium proximè poſt eos ſequentium annorum æquinoctia in diem 20. Martij, vſque ad annum 1700. Et quanquam omiſsione diei intercalaris anni 1700. aliquid horum reſtituetur, reſtitutio tamen iſta eſt tantùm verſuræ ſolutio: nam æquinoctia annorum biſſextilium, & primorum poſt eos, reducentur quidem, expunctione diei intercalaris anni 1700. in 21. Martij, ſed hoc ipſo modo transponentur æquinoctia annorum ſecundorum & tertiorum poſt biſſextiles in 21. Martij. Et hæc permutatio atque viciſsitudo non tolli poterit, donec tandem non ita poſt multos annos, æquinoctia omnium tàm biſſextilium, quàm trium ſequentium annorum, diem 21. Martij omninò deſerant. Ecce tantum abeſt, vt huic difficultati poſſit hoc nouo Kalendario vlla medicina parari, etiamſi cuncti omnem ſuam eruditionem in vnum aceruum congerant.

Obiectio. Quod ſi quis miretur, quare de his ſubtilitatibus Aſtronomicis in anno Politico vel Eccleſiaſtico diſputem? Is nouerit, quòd ego & mecum omnes ſani atque prudentes Mathematici vltrò confiteamur, haſce ſubtilitates Aſtronomicas in rei veritaté nihil conducere ad annum Politicum, vnde neminem Politicorum & plebeiorum hiſce grauandum ſtatuimus. Sicut nec Iulius Cæſar, prudentiſsimus Imperator in anni reſtitutione ſubtilitatibus vllis turbas mouere voluit. Nec Patres Concilij Nicæni, qui huic nouo Kalendario (attamen præter ſuum intentum, ſicut in Dialexi mea cap. 6. demonſtratur) occaſionem ſubminiſtrant, quicquam de his ſubtilitatibus monuerunt. Imò nos ipſi nouimus, quòd quotieſcunque Eccleſia ad huiuſmodi ſubtilitates delapſa eſt, quales olim inter Eccleſiam Romanam & Alexandrinam de termino Paſchatis erant, antequam per Dionyſium Abbatem Romanum, circa annum Chriſti 532. cyclus decemnouennalis reſtitueretur, ipſa horribiliter cum maxima offenſione infirmorum fuerit perturbata. Contrà autem nemini incognitum eſt, quòd interim ab anno 532. ad hoc nouum Kalendarium vſque, propter ſublatas has ſubtilitates, vniformitas, & nunquam ſatis laudata concordia in toto orbe Chriſtiano (quod ad præſentem Kalendarij vſum, vnà cum Paſchatis celebratione attinet) fuerit ſeruata. Non ergò gratum mihi eſt, de his ſubtilitatibus vllam hic quæſtionem mouere, ſed mallem

eas

eas Scholæ Aſtronomicæ relinquere. Sed Kalendarij Autor in canonibus ſuis, & Pontifex in Bulla, atq; alij eorum coadiutores, quos Pontifex magno numero in vrbem (ipſo teſte in Bulla) conuocauit, circa has ſubtilitates verſantur, & earum gratia de nouo hoc Kalendario ſuo iactitare non erubeſcunt, quòd ipſum tàm perfectum ſit, ne VLLI VNQVAM MVTATIONI ſit obnoxium futurum: quod profectò de ſubtilitatibus Aſtronomicis, conſtanti ratione à ſe obſeruatis, intelligunt, ſi enim in eis quicquam deſideretur, certum eſt, quòd tam præclara perpetuæ perfectionis, omnibus ſeculis duraturæ laus, nequaquam poſsit huic ipſo ipſorum Kalendario competere: Vnde Gregorius XIII. Papa non veretur canonum illorum ſubtilitatibus totum orbem Chriſtianum ſub metu indignationis ipſius DEI OMNIPOTENTIS, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſubijcere, non aliter, quàm ſi magna pars æternæ ſalutis in his ſubtilitatibus eſſet repoſita. Idcirco hæ ipſæ ſubtilitates mihi hic examinandæ ſunt, vt demonſtretur, quàm ineptum ſit, quàm etiam impoſsibile, velle annum Politicum huiuſmodi ſubtilitatibus vincire, quia non correctio, ſed confuſio Kalendarij inde ſubſequi neceſſe habet. Vnde manifeſtum euadit, quàm infœliciter hoc ipſum in nouo Kalendario fuerit tentatum.

Sin verò quis obijciat, quòd motus cœleſtes eiuſmodi æquationibus ligentur, quibus quicquid alicubi adimatur, id alibi reſtituatur, vnde mutua compenſatione facta, futurum, vt æquinoctium vernum verum ad 21. Martij redeat. Reſpondeo. Etſi æquationes alibi ſint addendæ, quæ alibi minuuntur: Eorum tamen reſtitutio non niſi poſt aliquot centenos, vel etiam millenos annos abſoluitur, vt mox dicetur, at interim toto illo tempore Eccleſia ſe peccatis, & quidem abſurdiſsimis (ſic nominantur huiuſmodi errores à Kalendarij Autore, canone 2.) pollueret, quando ipſa perſuaſa à Pontifice Gregorio XIII. falsò crederet, quòd æquinoctium vernum, non medium, ſed verum, ſemper in 21. Martij ſedem ſuam fixam teneret. Vnde futurum, vt paſcha (ſicut infra demonſtrabitur) etſi iuxta Kalendarij præſcriptionem obſeruetur, non tamen conueniente tempore celebretur. Hic ergò rurſus videte veſtri Kalendarij certitudinem. *Altera obiectio.*

Præterea, Calculus Aſtronomicus (cuius pars eſt Kalendarij computus) proprium habet hoc, vt extendi poſsit tàm ad præcedentia, quàm ſequētia tempora, numerata ab epocha ſuæ fundationis. Hanc ob cauſam ex calculo motuum cœleſtium, extructo ex obſeruationibus his 2000. duntaxat annis nuper elapſis, computa- *Calculus nouæ reformationis non poteſt cum præteritis annis concordare.*

 mus

mus motus ſyderum retrò vſque ad primam rerum creationem, non aliter, quàm ſi motuum calculus iam tum fuiſſet ſic conſtructus. Quin etiam omnis certitudo tabularum aſtronomicarum ex præteriti temporis obſeruationibus dependet. Si enim cum eis concordent, magnum id argumentum eſt, quòd futuro etiam tempore earum numeris tutò fidere liceat. Sed ſi ab antiquis obſeruationib. diſcrepent, certiſsimum & indubitatum eſt argumentum, eas futuris temporibus inutiles fore. Sic etiam annis Iulianis numeramus tempora retrò multis ſeculis ante Iulium Cæſarem, ſiue ante inuentum Iulianum annum elapſis, non aliter, quàm ſi iam tum vel ab origine Mundi vſitatus fuiſſet. Ita pari modo huius Kalendarij vſus poterit tàm præteritis, quam venturis annis accommodari. Nam hoc intentum eius eſt, nec aliud eſſe licet, quàm vt, ſicut nunc præſtet, quod præſtandum eſt; ita iam olim idem ipſum præſtiturum fuiſſet, ſi modò citius vſurpari cœpiſſet. Sed quomodo ſe habeat, docet vel vnum hoc exemplum.

Aequinoctium in 19. Martij.

Anno 1200. erat æquinoctium vernum verum die 12. Martij hora 6. p. m. Sed qui in veteri Kalendario erat dies 12. is in nouo fuiſſet tum 19. dies. Nam dierum 10. omiſſorum anno 1582. tres poſteriores cedunt annis illis 400. inter annum 1200. & 1600. Quare dies æquinoctij illic fuit nequaquam dies 21. ſed 19. Martij. Vos Mathematici ergo, Kalendarij noui defenſores, adhuc'ne cum Pontifice dicitis, quòd æquinoctij verni dies ſit fixa? Sunt'ne hic dies 19. & ſuprà 23. Martij, ijdem cum 21. die? Ego profectò ex ea Arithmetica, quæ mihi diſcenda fuit, hos pro eodem agnoſcere non poſſum. Quod ſi vobis fuerit, ſicut nouum Kalendarium, ita etiam noua Arithmetica, quæſo communicate eam etiam alijs.

Correctio noua à prima ſua origine ſc. à tempore Nicæni Concilij omnino diſcrepat.

In ſpecie autem hic ſingulariter notanda eſt craſſa & ridicula, ne dicam pudenda, noui Kalendarij exorbitatio. Correctionis fundamentum & origo, eſt Concilij Nicæni authoritas, vel decretum. Quis hic non dicet, quòd noui Kalendarij calculus maximoperè cum illius Concilij tempore congruere debeat? Nam ſi vlla eius eſt perfectio, eam certè talem eſſe oportet, vt, ſi Concilij eius Patribus cognita, & ab ijſdem recepta fuiſſet, ipſa ab eo tempore ſtatim incipiendo illos 10. dies paulatim, locis & temporibus competentibus abſtuliſſet. Quod ſi factum fuiſſet: nunc non tantùm ea 10. dierum eliſione toto hoc tempore in vnum aceruum collectorum, non opus eſſet, ſed Kalendarium ipſum per ſe, ſine vlteriore

corre-

correctione hæc omnia, ſicut iam exhibentur, ſua ſponte obtuliſſet. Atque hoc modo vnus & idem ſtatus, is ſcilicet qui tempore Niceni Concilij fuit, continua ſerie inuariatus permanſiſſet. Sed ecce quæ ſit eius conſtantia. Abiecti ſunt 10. dies ſimul, propterea quòd ij temporibus congruentibus, indè à Concilio Nicæno non ſingulatim ablati ſunt. At quæ ſunt illa loca & tempora, quibus hæc eliſio neglecta eſt? Oportet certè omiſsionem hanc decem vicibus non fuiſſe obſeruatam, quandoquidem in 10. dies excreuit. Oportet etiam eadem loca in nouo Kalendario exactiſsimè notari poſſe. Verùm ſi calculus iſtè nouus (attendite vos Mathematici) ad dictum annum retrò eadem proportione retrahatur, qua in futuros annos continuandus traditur, monſtrantur nequaquam 10. ſed tantummodo 9. dies, qui hactenus elidendi fuiſſent, videlicet, dies intercalares annorū 1500. 1400. 1300. 1100. 1000. 900. 700. 600. 500. reliqui enim centenarij, ſcilicet 1200. 800. 400. biſſextiles manent. Videtis quòd planè nullus ſuperſit locus pro exterminando die 10. Ergò oportet æquinoctium illic non in 21. ſed 20. Martij fuiſſe: Cui tamen & experientia, & veſtrum toties repetitum teſtimonium reclamat. Ecce quæ ſit veſtri operis perfectio, quàm elegans eius cum experientia & obſeruationibus concordia.

Correctio noua omittit 10. dies, cum tamen eius fundamenta non niſi 9. dies exhibeant.

Hinc æquinoctium venit tempore Cōcilij Nicæni non in 21. ſed in 20. Martij.

Si forſan hoc leue videatur, ſubijciam aliud maius abſurdum. Quàm procul à ſtatu priſtini ſeculi, quo Concilium Nicænum celebratum eſt, nouum Kalendarium abſit, ex eo quoq; colligi poteſt: quòd ipſum eo vſque retractum, nec literam Dominicalem veram monſtrat, nec qui dies Dominici tum fuerint, indicare nouit, ſed toto illo tempore per totos ducentos annos, falſum pro vero offert, Exemplum. Anno Chriſti 326. Cyclus ſolaris erat 27. Ergo ſecundum antiquum calculum, qui inde vſque ad nos nulla interueniente interruptione delatus eſt, fuit litera Dominicalis B. & propterea dies (verbi gratia) 2.9.&c. Ianuarij, item dies 3.10.&c. April. erant dies Dominici & dies 3.10.&c. Ianua: item dies 4.11.&c. Aprilis, fuerunt dies Lunæ &c. Hoc idem docet quidem calculus canonis 4. noui Kalendarij, neglecta tamen correctione ſua noua.

Noua correctio facit tempore Nicæni Concilij ex die Lunæ diem Solis.

Cognoſcitur autem cyclus ſolaris tam veteri, quàm nouo Kalendarij computo, ſi ſcilicet anno labenti, numerato à natali Chriſti addantur 9. & ſumma collecta per 28. diuidatur, qui enim numerus fuerit reſiduus, is eſt numerus cycli ſolaris eius anni. Vt ad numerum 326. ſi addantur 9. conficiuntur 335. his per 28. diuiſis, relinquuntur 27. numerus cycli ſolaris anni 326. Quod ſi contingat vt nihil ſit reſiduum, tum 28. erit numerus illius anni.

Præceptum inueniendi cyclum ſolarem.

Sed

Modus inueniendi literam Dominicalem cuiusque anni.

Sed quæ literæ Dominicales ſingulis numeris cycli ſolaris ſecundum antiquum computum competant, docet ſequens tabula, qua primę cellulæ litera debetur numero eius cycli 1. ſecundæ litera debetur numero 2. tertię numero 3. &c. Sed ſi binæ literæ ſunt coniunctæ, annus is biſſextilis indicatur &c. Hinc viceſima ſeptima cellula habet literam B.

CYCLVS SOLARIS SEV LITERARVM Dominicalium antiquus 28. annorum.

V				VII				II				IIII	
g f	e	d	c	b a	g	f	e	d c	b	a	g	f e	d
		VI				I				III			
c	b	a g	f	e	d	c b	a	g	f	e d	c	b	a

Quod ſi verò noui Kalendarij computus continuetur retrò, ſeruata correctione pari modo, quo ab autore idem computus prorogatur cum correctione in venturos annos: non cedet anno 326. litera Dominicalis B. ſed litera, C. Noua enim correctio propter omittendos dies intercalares in quibuſdam annis centenarijs, interrumpit ſeriem cycli huius, ne iiſdem eius numeris eædem literæ Dominicales congruant. Quam ob cauſam cyclo ſolari præcedenti adiecit autor tabulam æquationis ſequentem, qua ſingulis annis centenarijs præfiguntur literę numerales, correſpondentes literis numeralibus, quas ex eiuſdem ſententia cyclo pręcedenti ſuperimpoſuimus. Numerales autem illę literę ſunt æquationum indices, quibus notatur, quo in loco cycli illius poſt interruptionem ſit denuò faciendum initium. Vt cùm hactenus vſq; ad correctionem anno 1582. factam, numero cycli ſolaris 1. ceſſerit litera Dominicalis primæ cellulæ: numero 2. litera ſecundæ: & ſic conſequenter, vnde etiam litera numeralis. V. pręfigitur primo, & etiam 1582. anno, à nato Chriſto, quę in priore tabula ſuperimponitur primę cellulę: tamen correctione facta numeri cycli huius inchoandi veniunt ab ea cellula, quæ literam numeralem I. ſupra ſcriptam habet, qualis etiam anno 1582. poſt ablatos 10. dies apponitur, igitur numerus cycli ſolaris 1. poſthac habet literam Dominicalem, non g f, vt antè, ſed c b. & ſic etiam reliqui, vſq; ad annum 1700. quo denuò mutandus

tandus eſt cyclus ille, propter omittendum diem intercalarem, atq; um initium eius reponendum erit in cellulam, quę literas I I. ſuperincumbentes habet &c. Eſt autem ęquationis haec autoris tabula, quę ſequitur.

TABVLA AEQVATIONIS CYCLI ſolaris antiqui.

	Anni Domini		Anni Domini		Anni Domini
V	1	II	2600	V	4000 biſſ.
V	1582	III	2700	VI	4100
Detractis x diebus.		III	2800 biſſ.	VII	4200
I	1582	IIII	2900	I	4300
I	1600 biſſ.	V	3000	I	4400 biſſ.
II	1700	VI	3100	II	4500
III	1800	VI	3200 biſſ.	III	4600
IIII	1900	VII	3300	IIII	4700
IIII	2000 biſſ.	I	3400	IIII	4800 biſſ.
V	2100	II	3500	V	4900
VI	2200	II	3600 biſſ.	VI	5000
VII	2300	III	3700	VII	5100
VII	2400 biſſ.	IIII	3800	VII	5200 biſſ.
I	2500	V	3900	I	5300

Vſus tabulę eſt hic. Dato quocunque anno ſiue ante ſiue poſt correctionem, inueſtigetur initio per ea, quæ paulò antè pręcedunt, eius anni numerus cycli ſolaris: deinde obſeruentur literę numerales eidem anno (ſi in hac tabula habeatur) aut anno proximo minori (ſi datus annus in tabula non ſit) aſcriptę: inde à ſimilibus literis numeralibus in tabula cycli ſolaris præcedente, incluſiuè initium faciendo, numerentur cellulæ ſequentes totidem, quot cycli ſolaris numerus dato anno congruens, vnitates habuerit, poſtrema ergò illa cellula habebit eius anni literam Dominicalem, vt: Anno 1580. numerus cycli ſolaris eſt 21. Annus proximè minor nullus hac tabula eſt, quàm 1. à Chriſto nato, cui adiacet litera numeralis V, quę index eſt literæ Dominicalis. Quare à V. quę litera in priore tabula in principio eſt, initio facto, numeratio ad 21. incidit in cellulam, cuius literæ c b. eius anni Dominicales ſunt. Sic Anno 1587. cyclus ſolaris eſt 28. Sed annus 1582. poſt correctionem habet indicem literam I. Ab ea cellula ergò, quę I. habet, per ſequentes omnes numerando, inuenietur D. litera dominicalis, anni 1587.

Hoc cùm ſit? quid prohibet, quin ad annos præteritos hæc eadem æquationis ratio reducatur? Ea ergò erit ſicut ſequitur.

TABVLA AEQVATIONIS CYCLI Solaris antiqui, tanquam ea iam olim fuiſſent vſitata.

	Anni Domini		Anni Domini		Anni Domini
III	1	I	600	V	1200 biſſ.
IIII	100	II	700	VI	1300
V	200	II	800 biſſ.	VII	1400
VI	300	III	900	I	1500
VI	400 biſſ.	IIII	1000	I	1600 biſſ.
VII	500	V	1100	II	1700 &c.

Iam nunc ex eadem hac tabula ſi litera Dominicalis quæratur ad annos Concilij Nicæni, patebit, id quod dixi antea. Vt, verbi gratia Anno 326. Numerus cycli ſolaris erat 27. ſed annus proximè minor hac tabula inuenitur 300. habens indicem æquationis VI. Ergò à literis his numeralibus VI. facto initio in tabula cycli ſolaris, ſi numerentur 27. cellulæ, poſtrema habebit literam Dominicalem C. Igitur ſecundum huius noui Kalendarij rationes proprijſsimas neceſſe eſt, vt ſtatuatur litera C. fuiſſe Dominicalis Anno 326. & propterea dies 3. 10. &c. Ianuarij, item dies 4. 11. &c. Aprilis fuiſſent Dominici dies. Sed ſuprà demonſtratum eſt, quòd hi ipſi dies non fuerint Dominici, ſed dies Lunæ. Hic rurſus cernitis, vos Mathematici, turpem Kalendarij veſtri lapſum, & fœdam audaciam. Dum enim promittit reſtitutionem Nicæni ſeculi: interim non poteſt vos de certis diebus ſeptimanæ informare, ſed ordinarios eos dies pudenda temeritate tranſponit. Eſt etiam canone 4. eiuſdem Kalendarij alia talis æquationum tabula, quæ eodem modo retrò reducta, literam Dominicalem eius anni etiam ponit C. Et hæc differentia totis ducentenis annis durat, nam anno 400. æquatio alia

Obiectio. locum non habet, quia biſſextilis eius dies non adimitur. Quòd ſi quis dicat: æquationes iſtas iam demum in anno correctionis incipiendas eſſe: in præteritis autem vtendum eſſe Kalendario antiquo. Huic, ſicut ſuprà reſpondeo: Video ſanè hoc: nam æquationes iſtæ cum antiquis temporibus collatæ, falſiſſimæ inueniuntur, nec vſum vllum habent, ſiquidè neſciunt quo die æquinoctium fuerit, nec inueniunt vllos veros dies Dominicos, vnde multò minus, ſicut infrà patebit, docere vos poterunt, quibus diebus antiquitus in Concilio Nicæno, vel poſt illud celebratum, vel celebrandum fuerit paſcha.

ſcha. Verùm non ſpectandum eſt, quid fiat, ſed quàm bene fiat. An non nouum Kalendarium ad Concilij Nicæni decretum iuratum eſt, & ad illud reformatum dicitur? Annon ea propter cum illo exquiſitiſsimè cõgruere debebat? Quod ſi illa ſub tempore Concilij eius ex veteri computo numeranda ſunt, annon hoc ipſo modo vetus Kalendarium probatis, & nouum hoc veſtrum improbatis? Quin potius iſtarum æquationum, atq; adeò totius correctionis principium non in anno 1582. ſed in ipſo Concilio Nicæno conſiſtit. Nam nihil aliud ipſum velle poteſt, nec debet, nec aliud ſubinnuunt veſtræ querelę aduerſus vetus Kalendarium, quàm ſi iſtæ æquationes iam olim fuiſſent vſurpatæ, quòd Eccleſia toto hoc tempore, & porrò etiam in perpetuum habuiſſet, & habitura ſit correctiſsimum Kalendarium: ſed poſtquam vſque ad annum 1582. fuerint neglectę, quòd hac reformatione quaſi ab exilio reuocatæ, in integrum reſtituantur, eiſq; omne id, quod tempore intermedio deceſſerat, reddatur. Et hoc ipſum Autor ſuo proprio exemplo confirmat. Nam in tabula æquationum cycli epactarum perpetui ipſe ſimiliter æquationem lunationum (ſicut ex cap. 2. cognoſcetur) non ad ſequentes tantùm, ſed etiam ad præteritos annos vſque ad principium annorum Chriſti adhibet. Quare non immeritò hic quoq; ſimili æquatione vtendum erit.

Placuit autem huic loco, ſicut & ſequentibus capitibus, ipſas tabulas æquationum, ex Kalendario nouo tranſcriptas interſerere, partim vt rationes & fundamenta Kalendarij cognoſcantur, partim vt inde earundem imbecillitas & abſurditas pateſiat. Hęc autem intelligi non poteſt, niſi ſimul de ipſis rationibus quis fuerit edoctus.

Quod cùm ſit, cur quęſo in ore ſemper habetis, Concilium Nicęnum, Concilium Nicęnum? Cur contenditis, quòd Kalendarium ad Concilij eius conſtitutionem reformandum fuerit, & iam veſtrà operà reformatum ſit? Cùm tamen nec diem ęquinoctij verni, nec vllam diem Dominicam, aliamùe in ſeptimana certam, ad tempus Concilij illius mõſtrare poſsitis, ſed calculo veſtro pro 21. ſupponatis 20. diem Martij, & pro die Dominica, diẽ Lunę, &c. Si quid frontis eſt vobis, an non pudebit vos veſtri laboris in hoc Kalendario conficiendo ſuſcepti? An non vos, qui confectum recepiſtis, alijſq; ad recipiendum veſtris conſilijs autores fuiſtis, erubeſcitis, quòd in calculum eius non aliter inquirere potueritis: aut ſi potuiſtis, quòd eum melius non examinaueritis, priuſquàm autoritate Papę moti, eum velut ſingulari artificio abſolutum proclamaretis? Pudeat, inquam, vos veſtræ vel inſcitię vel temeritatis. Sed quis in poſterum confidet Kalendarij huius numeris, cùm ipſi tàm ridiculè fallant tempora anteacta?

 Non

Correctio noua numerat æquinoctij veri anticipationem velut motum medium.

Non minus ridiculum eſt, quòd Kalendarij huius autores, quos Mathematicos eſſe conuenit, motum ſeu anticipationem ęquinoctij veri, non aliter, quàm vt motum medium computant. Sed quid quęſo in Aſtronomia abſurdius dici poteſt? Cùm omnis Aſtronomica ſcientia in eo potiſsimũ conſiſtat, vt doceat, quàm inęquales ſint motus veri ſeu apparentes, & quantum à medijs differant. Quamobrem etſi media æquinoctia hac tridui intra 400. annos omiſsione poſſent forſan multis ſeculis (non tamen omnibus, ſicut patet in mea Dialexi cap. 11. Animaduerſ. IIII. ſecundi defectus Aſtronomici) habere ſedem propemodum fixam in vna certa dię: Hoc tamen negotio, non de ęquinoctio verno medio, quod incidit non in 21. ſed in 23. Martij, agitur. Hoc ergò cùm autores Kalendarij non perpenderint, proſtituunt ſe egregiè deridendos, quòd in ijs halucinantur, quę cuiuis ex aſtronomię tyronibus nota eſſe conuenit. Sicut autem verum ęquinoctium à medio poteſt toto quatriduo recedere in antecedentia, quemadmodum ſuprà dictum eſt de anno 1200. eo enim anno verum prius fuit medio 4. diebus, quantum ſc. 19. dies à 23. diſtat, quod fieri ſolet, quoties vtraq; proſtaphęreſis, ęquinoctiorum & anomalię Solis annuę fuerit maxima & addenda: Ita quando vtraq; futura eſt maxima & ſubtrahenda (ſi Mundus tamdiu ſubſiſteret: quanquam nouum Kalendarium de nouiſsimo aliquo die nihil nouit, alioqui non continuaret ſuos canones ad 40. mille annos poſt Chriſtum natum) ibi tum idem verum ęquinoctium ſequetur poſt medium itidem quatriduo, & incidet in 27. diem Martij. Vbi hic eſt dies 21. Martij? Laudibus veſtris, vos Mathematici, videmini Kalendarium veſtrum nimis altè ſupra aſtra eleuaſſe, adeò vt ęquinoctium eius vertigine correptum, hinc inde nutando, tandem ex ſedili ſuo, quod firmum fixiſtis ei in 21. Martij, delapſum ſit, & in illos alios dies deciderit. Succurrite ergò clienti veſtro, ne nimium errando vos omnino deludat & pudefaciat, ſicut iam ſtatim ſequitur.

Addo enim & hoc, quod vos conſiderare velim. Hoc noſtro quidem ſeculo, dum apogęum ſolis adhuc circa ſolſtitium ęſtiuum moratur, fit, vt proſtaphęreſis annuę anomalię, quę debetur motui eius die ęquinoctij verni, ſit non tantùm addenda, ſed etiam propè maxima: Idcirco ipſum ęquinoctium vernum verum propter proſtaphęreſin ęquinoctiorum aliàs addendam aliàs ſubtrahendam, nutat à die 21. reciprocè ad 19. & ad 23. Martij. Verùm propter apogęi deſcenſum verſus libram, fit, vt addenda hęc proſtaphęreſis paulatim attenuetur, donec tandem omnino annihiletur.

At vbi apogęum Solis ſuperauerit Libræ priores partes: eadem

proſta-

proſtaphæreſis, quæ æquinoctij verni diei cedit, augebitur denuò: ſed ſub titulo ſubtractionis, &c. Hinc neceſſariò ſubſequetur, vt reciproca æquinoctialis diei nutatio nō amplius depēdeat à 21. Mart. ſed tranſeat in diem 22. 23. 24. vſque in 25. eiuſdem, à ſingulis eorum ſimiliter biduo antè, & biduo poſt nutando. Itaque futurum erit (loquor denuò ex ſententia noui Kalendarij, quod nullum diem nouiſsimum habet) vt ęquinoctiū vernum verum diem 21. Martij tandem penitus deſerat, adeò vt etiā nulla nutatione eum amplius attingere poſsit. Fiet autem hoc circa annum Chriſti 4700. Quanquam enim hoc idem æquinoctium interea maiorem huius temporis partem conficiet extra diem 21. Martij, vagando per 20. 22. 23. 24. & 25., interdum tamen reciprocabitur rurſus etiam in 21. eiuſdem. Verùm vbi ad annum 4700. peruentum fuerit, reditus eius ad 21. Martij, nullus vnquam amplius expectandus erit, donec 15000. anni poſt Chriſtum fuerint completi. Conſiderate iterum, vos Mathematici, quàm PERPETVA & FIXA ſit ſedes æquinoctij veſtri in 21. Martij. Videtis hic, quòd ipſum per decem mille annos, & vltrà, non inuenietur in 21. ſed vel in 22. 23. 24. 25. 26. vel etiam 27. die Martij. Et hoc quidem futurum eſt, adhuc eo tempore, quo Kalendarium hoc nouum perfectiſsimam certitudinem ſibi pollicetur. Nam calculum hunc ego nondum tàm procul extendi, quin Kalendarij autor ſuum calculum ad annos multò remotiores produxerit.

Aequinoctium maiori temporis parte verſabitur extra 21. Martij, vſque ad 4700. annum, inde ab eo per 10000. annos non amplius in 21. Martij redibit.

Sic ergo, vos Kalendarij noui defenſores, cernitis, quàm exquiſitum habeatis Kalendarium, tale nimirum, quod velut præfractus & indomitus equus, nec procedere, nec retrocedere vult, imò quod in primo veſtibulo falſum deprehenditur, dum ad primam ſuam ſtationem, tanquam locum natiuum, redire nec vult, nec poteſt, in quo etiam pro 21. die, omnes reliqui à 19. vſque ad 27. vobis inſimul obtruduntur, item in quo ęquinoctium vernum verum, vt plurimùm in alijs illis diebus, rariùs autem, imò ſi integras reuolutiones dictarum anomaliarum ſpectetis, rariſsimè in 21. die verſatur. Quid autem hęc in Paſchali feſto turbent, patebit ex ſequentibus. Quare non amplius dubium vobis eſſe poteſt, quin ſciatis, vos non tantùm miſerè eſſe deceptos, ſed etiam ne ſoli ſitis miſeri, vos veſtris conſilijs & approbationibus alios quoque, ad recipiendum hoc vitioſum Kalendarium decepiſſe. Sed quid interim conſcientia veſtra? Reſpondete ſi poteſtis.

Caput ſecundum.

AN NVMERI EPACTARVM IN KAlendario nouo indicent veros dies Nouiluniorum: Et quod præcipuè promittunt, an demonſtrent verum terminum Paſchalem.

Aureus numerus. Avrei numeri vſus erat, vt primò quidem Nouilunia, deinde autem, & quidem principaliter, terminum Paſchalem demonſtraret. Sed quia lunationes ab eo itidem anticiparunt: hic vſus eius in nouo Kalendario ſublatus eſt, & eius loco ſubſtitutus eſt in hunc vſum Epactarum cyclus. **Epactæ.** Aureo tamen numero aliud munus eſt datum, nimirum vt ipſe ſit Epactarum index. Sed certæ ne ſint Epactæ & infallibiles Nouiluniorum & termini Paſchalis notæ, docent ſequentia. **Epactarum prior vſus inanis eſt, ipſæ enim nō poſſunt certos nouiluniorum dies monſtrare.** Epactæ autem ſunt numeri à 30. numerati retrò vſque ad vnitatem, diſtributi per totum Kalendarium Gregorianum, & ſingulis diebus aſcripti, &c. Verùm hi numeri, quoad priorem eorum vſum, quo fiunt Nouiluniorum termini, languidiſsimi deprehenduntur, nam cum veris Nouilunijs rariſsimè congruunt. Exemplis hoc fiet manifeſtius.

Anno 1584. Aureus numerus eſt 8. vnde Epacta illius anni in canone Epactarum offertur xviij. Vbicunque ergo in Kalendario ſcribitur Epacta xviij. ea die Lunam oportebat eſſe nouam. Sed quantum diſſentiant à cœlo, tabella ſequens docet, qua notantur in prima columna dies, quibus luna noua eſſe debebat ſecundum noui Kalendarij rationes. Secunda columna ſunt dies & horæ veri Nouilunij ſecundum calculum Aſtronomicum. Et ne quis errore deprehenſo forſan ad motus ſeu Nouilunia media confugiat, quaſi tabulæ Epactarum ad motus medios tantùm, non ad veros computatæ ſint, quia hoc ſit impoſsibile, illud autem abſque dubio pleniſsimè præſtitum: ideò tertia columna dies & menſes mediorum Nouiluniorum etiam indicantur. Quarta verò columna menſium nomina habet. Quæ omnia computantur pro meridiano vrbis Romæ, ad quem haud dubio Kalendarij Autor potiſsimum reſpexit.

Noui-

Nouilunia iuxta Epactas.	Nouilunia vera iuxta calculum	Nouilunia media Aſtronomicum.	Menſes.	
Die	Die hora	Die hora		1584.
13	12 12 poſt mer.	12 6 p. m.	Ianuarij.	
11	11 5 poſt mer.	11 7 a. m.	Februarij.	
13	12 8 ante mer.	11 8 p. m.	Martij.	
11	10 8 p. m.	10 8 a. m.	Aprilis.	
11	10 6 a. m.	9 9 p. m.	Maij.	
9	8 2 p. m.	8 10 a. m.	Iunij.	
9	7 9 p. m.	7 11 p. m.	Iulij.	
7	6 4 a. m.	6 11 a. m.	Auguſti.	
6	4 in meridie	4 12 p. m.	Septembris.	
5	3 11 p. m.	4 1 p. m.	Octobris.	
4	2 1 p. m.	3 1 a. m.	Nouembris	
3	2 5 a. m.	2 2 p. m.	Decembris.	

Sic Anno 1585. aureus numerus 9. offert Epactam xxix. hinc dies Nouiluniorum monſtrantur ij, qui ſequenti tabula ſcripti ſunt columna prima, ſed vera & media, prout calculus Aſtronomicus elicit, in ſecunda & tertia columna è regione habentur.

2 Ian.	1 med. noct. p̄c.	1 3 a. m	Ianuarij.	1585.
	30 7 p. m.	30 4 p. m		
1 Febr.			Februarij.	
2 Mart.	1 1 p. m.	1 4 a. m.	Martij.	
1 April.	31 5 a. m.	30 5 p. m.		
30 April.	29 7 p. m.	29 6 a. m.	Aprilis.	
30	29 5 a. m.	28 7 p. m.	Maij.	
28	27 2 p. m.	27 7 a. m.	Iunij.	
28	26 9 p. m.	26 8 p. m.	Iulij.	
26	25 4 a. m.	25 9 a. m.	Auguſti.	
25	23 1 p. m.	23 10 p. m.	Septembris.	
24	22 11 p. m.	23 10. a. m.	Octobris.	
23	21 11 a. m.	22 11 p. m.	Nouembris	
22	21 2 a. m.	21 in meridie	Decembris.	

Item

Item, Anno 1586. Aureus numerus 10. habet Epactam X. quare dies nouiluniorum ſunt, vt ſequitur.

1586.

Nouilunia iuxta Epactas.	Nouilunia vera iuxta calculum Aſtronomicum.		Nouilunia media iuxta calculum Aſtronomicum.		Menſes.
Die	Die	hora	Die	hora	
21	19	7 p. m.	19	12 p. m.	Ianuarij.
19	18	1 p. m.	18	1 p. m.	Februarij.
21	20	8 a. m.	19	2 a. m.	Martij.
19	19	2 a. m.	18	2 p. m.	Aprilis.
19	18	3 p. m.	18	4 a. m.	Maij.
17	16	3 a. m.	16	4 p. m.	Iunij.
17	16	in meridie	16	5 a. m.	Iulij.
15	14	9 p. m.	14	6 p. m.	Auguſti.
14	13	5 a. m.	13	6 a. m.	Septembris.
13	12	2 p. m.	12	7 p. m.	Octobris.
12	10	12 p. m.	11	8 a. m.	Nouembris.
11	10	11 a. m.	11	9 p. m.	Decembris.

Pauculis his exemplis ſatis patet, quòd Epactarum numeri vehementer ſint fallaces, quandoquidem raro cum calculo tàm mediorum quàm verorum motuum cōcordant, ſed ab eis ſæpius vno die, aliquando biduo diſtant. Quoniam ergò Nouiluniorum dies per has Epactas falſi indicantur, quomodo quęſo fieri poterit, vt ex principio falſo, verus dies plenilunij, vel vera ætas Lunæ computetur? Et huius quidem falſitatis Autorem ipſum non pudet. Canone enim 2. § Exemplum Anno correctionis : citat ex Kalendario ſuo quędam exempla, de quibus haud dubio certus eſſe potuit, quòd ad calculum Aſtronomicum examinata, falſitatem ſui calculi proditura ſint. Cum anno correctionis 1582. aureus numerus ſit 6. & inde Epacta XXVI. fiet, inquit, Nouilunium die 27. Octobris, & 26. Nouembris, & 25. Decembris. Verùm ex his tribus Nouiluniorum diebus, calculus Aſtronomicus in motibus veris duos priores, & in motibus medijs omnes improbat, docens, eòs vno die tardiùs iuſto notari. Et hoc accidit (quod prætereundum non puto) in ijs diebus, à quibus factum eſt primum auſpicium numerorum noui Kalendarij. Qui cùm fuerint falſi; quis iam de reliquis maiorem certitudinem audebit ſibi promittere? Hic, vos Mathematici Kalendarij huius Patres vel Patroni, accurrite denuò, & ferte ſup-

te ſuppetias huic languido veſtro clienti. Sed en, autor ipſemet, canone 2. §. Quod ſi quando: medicinam adhibet, ſuosq́; hos vitioſos numeros excuſat, nec quidem negat, Epactas aliquando ſerius monſtrare diem Nouilunij: rationem adiungit, quia impoſsibile ſit, vt aliquis cyclus perfectiſsimè cum calculo Aſtronomico correſpondeat: Attamen, inquit, in hac Epactarum diſtributione potiorem rationem habitam fuiſſe plenilunij Paſchalis. Verùm an hæc non eſt calua excuſatio? Si impoſsibile eſt perfectum cyclum condere, ipſo autore, velit nolit, teſte, cur impoſsibile opus molitus eſt? Quid opus fuit tàm ſolicitas æquationes per Epactas xxv. & 25. (diuerſis numerorū literis ſcriptas) toties in Kalendario interſerere, cùm non tantùm Epactæ xxv. & 25. vel xjx. & 19. ſed etiam omnes cæteræ vtplurimùm falſæ deprehendantur? Cur ad impoſsibile & falſum opus Pontifex totum orbem Chriſtianum aſtringit? Et quidem his verbis autor ſatis ingenuè confitetur, quòd cyclos cum Aſtronomico calculo ad vnguem congruentes non effinxerit, & per conſequens, quòd Kalendarium nequaquam perfectè reformauerit. At contrà, Papa Gregorius XIII. vt ſuprà dictum, longè aliter commendat hoc ſuum Gregorianum Kalendarium perpetuum, dicens, quòd in eo OMNIA conſtanti ratione ſic reſtituta ſint, ne vlli vnquam mutationi fiant obnoxia. Hos inter ſe diſcordes ego conciliare nequeo, concilientur ab alio.

Calua excuſatio noui Kalendarij autoris.

Quoniam ergo nouilunia falſos habent in Epactis indices, an non ſatius fuiſſet, autoriq́; earum conſultius, ſi eas in Kalendario omninò præterijſſet, quàm quòd in re falſa & friuola inanem gloriolam quæſiuit? præſertim cùm paſsim plurima habeantur diaria, quibus & Nouiluniorum & pleniluniorum, atque quadraturarum dies & horæ aptiſsimè conſignentur. Quòd ſi ad plenilunium Paſchale potiſsimum reſpexit, certè ſine periculo nulla Epactarum alibi fieri potuiſſet mentio, ſed ſuffeciſſet nuda tabula, quæ inſcribitur: Tabula Paſchalis antiqua reformata.

Epactarum vſus in nouilunijs ſignificandis eſt ocioſus.

Præterea noua Autoris Grammatica, ſicut ſuprà noua Arithmetica, elucet: Vocula enim ALIQVANDO (ſi modò verba ſunt accipienda ſecundum materias ſubiectas) nequaquam æquipollet voculæ INTERDVM, ſed voculæ VT PLVRIMVM. Nam nouilunia per epactas monſtrantur non modò INTERDVM, ſed VT PLVRIMVM falſa: ſicut in numeris illius triennij, & omnibus alijs annis cernere licet.

Sed age, libeat petenti dare veniam, quoniam habemus confitentem reum, libeat autori reddere & redonare ſuas epactas, quatenus ſunt fallaces nouiluniorum indices: quandoquidem profitetur hunc errorem optimo alio beneficio compenſari. Nam dum maior haberetur, vt ipſe refert, ratio plenilunij Paſchalis: epactas iſtas maturo conſilio ſic eſſe à ſe diſpoſitas, & diligenter datam eſſe operam, vt potiùs nouilunia ſeriùs aliquando per epactas demonſtrentur, quàm vt aliquando ſedes ſuas anteuertant (h. e. ſtudioſè factum eſſe malum, ſeu commiſſum eſſe delictum in veritatem Aſtronomicam, vt inde eueniret bonum) ne cum Quartadecimanis hæreticis Sacroſanctum Paſcha in xiiij. Luna, vel ante, celebretur, &c. Quibus verbis ſubindicat, quòd hac diligenti diſtributione termino Paſchali tanta præciſione prouiſum ſit, quanta certior exoptari non poſsit, Epactas enim quotannis infallibiliter rectiſsimè eum demonſtraturas eſſe. Aureos ſanè montes autor hic pollicetur: attamen ſi reipſa præſtarentur, quæ promittuntur, forſan multæ aliæ vitioſi huius Kalendarij maculæ abluerentur. Sed ne magnificis his verbis eius decipiamur, conſiderabimus rem ipſam in fundamentis, atque in exemplis.

Epactarum in nouo Kalendario aliter vſus eſt valde vitioſus. Ipſæ enim vt plurimum falſum terminum Paſchalem pro vero oſtendunt.

Quid certitudinis ergo habeant epactæ iſtę in monſtrando termino Paſchali, docet tabula ſequens, qua in ſpecie epactarum diſſonantia à veritate examinatur per annos ducentos, non procul diſsitos, ſed fundationi, ſeu promulgationi Kalendarij propinquos, videlicet ab anno 1500. incluſiuè, vſque ad annum 1700. excluſiuè, qui partim proximè præcedunt, partim proximè ſequuntur Kalendarij noui inaugurationem. Poſſe autem annos tam præteritos, quàm futuros examini huic adhiberi, demonſtratum eſt ſuprà. Eodem modo, quid certitudinis ſit tribuendum epactis, intelligi datur ex informatione, quę poſtea ſequetur, qua Epactæ generaliter ſaltem examinantur in annis longiùs remotis.

TABVLAE aũt huius columna prima habet aureos numeros ſcriptos. In ſecunda columna notantur Epactarum numeri, prout in nouo Kalendario canone 2. ſingulis aureis numeris annorum numeratorum ab anno 1500. incluſiuè, vſque ad annum 1700. excluſiuè, attribuuntur. Tertia columna determinat terminum Paſchalem hoc eſt, diem plenilunij proximè ſequentis æquinoctium vernum verum, ſicut is dies tàm in noua, quàm in veteri tabula Paſchali reformata exprimitur. Vt Aureus numerus 1. habet

Epactam

Epactam ſ. ergo terminus Paſchalis eſt dies 12. Aprilis. Nam in tabula noua citiſsimum Paſcha epactæ ſ. eſt die 13. Apr. quare terminus eius eſt die 12. proximè præcedente: ſicut etiam eadem epacta ſ. in tabula antiqua è regione diei 11. Aprilis cernitur. Reliquæ autem columnæ ſequentes, enumerant annos, quibus epactæ à calculo Aſtronomico aberrant. Et ne aliquod refugium relinquatur Kalendarij noui patronis, ideò diſcrepantia illa tàm in medijs, quàm in veris motibus examinatur. In quarta ergo columna notantur anni, quibus tàm mediæ; quàm veræ oppoſitiones Solis & Lunæ Paſchales in alios dies incidunt, quàm Kalendarij Epactæ illis aſsignant. Sed in quinta columna reponuntur anni, quibus vera quidem plenilunia termino Paſchali Kalendarij noui congruunt, at media diſcrepant. Et in ſexta ſunt anni, quibus epactæ medijs quidem plenilunijs ſatisfaciunt, ſed à veris deficiunt. Poſterioribus tamen duabus columnis adijciuntur 4. anni, ſc. 1511. 1527. 1571. 1579. quorum itidem & media & vera plenilunia Epactis Kalendarij non ſubijciuntur, alterum tamen longiùs ab eis recedit.

Speciale examen termini Paſchalis in annis 200. ab anno 1500. ad 1700.

SEQVITVR TABVLA, QVA NOTANtur anni, quibus intra annum 1500. & 1700. terminus Paſchalis noui Kalendarij, à termino Paſchali vero, ex tabulis Aſtronomicis numerato, aberrat.

Aureus numerus.	In Kalendario nouo — Epactę	Terminus Paſchalis.	Secundum calculum Aſtronomicum diſcrepant à termino paſchali Kalendarij noui — Tam media quàm vera plenilunia. Ea.n. ſunt	Media plenilunia. Ea.n. ſunt	Vera plenilunia. Ea.n. ſunt
1	j	12 Ap.	1501 1539 1558 1615 1634 — 13 Apr.	1691 13 Apr.	1520 13 Apr.
2	xij	1 Ap.	1502 1521 1559 1578 1597 1635 — 2 Apr.	1654 2 Apr.	1616 2 Apr.
3	xxiij	21 Ma.	1503 1522 1541 1598 1617 1655 1674 — 22 Mar.	1579 22 Mar.	1560 22, 1579 23, 1693 22 Mar.
4	iiij	9 Ap.	1523 1542 1599 1675 — 10 Apr.		1561 1580 1618 1694 — 10 Apr.
5	xv	29 Ma.	1543 1562 1619 1695 — 30 Mar.	1505 1638 — 30 Mar.	1581 30 Mar.
6	xxvj	17 Ap.	1563 18 Apr.	1506 18, 1696 16 Apr.	1582 18, 1620 16 Apr.
7	vij	6 Ap.	1507 1526 1583 — 7 Apr.		1545 1659 1678 — 7 Apr.
8	xviij	26 Ma.	1546 1603 1679 — 27 Mar.	1527 27 Mar.	1508 27, 1527 28, 1622 27, 1641 27 Mar.

Aureus numerus.	In Kalendario nouo		Secundum calculum Aſtronomicum diſcrepant à termino paſchali Kalendarij noui		
	Epactę	Terminus paſchalis.	Tam media quàm vera plenilunia. Ea .n. ſunt	Media plenilunia. Ea .n. ſunt	Vera plenilunia. Ea .n. ſunt
9	xxjx	14 Ap.	1547 15 1680 13 Apr.		1509 1623 15 Apr. 1642
10	x	3 Ap.	1510 4 Apr.	1562 4 Apr.	1643 4 Apr.
11	xxj	23 Ma.	1530 1587 24 Mar.	1511 24 Mar:	1511 25 1606 24 Mar. 1625 24
12	ij	11 Ap.	1664 10 Apr.	1531 12 Apr.	1607 12 Apr.
13	xiij	31 Ma.	1551 1 Apr. 1684 30 Mar.		1570 1589 1 Apr.
14	xxiiij	18 Ap.	1514 1533 1590 1609 19 Apr. 1647 1666	1571 19 Apr.	1552 19 1571 20 Apr. 1685 19
15	v	8 Ap.	1648 7 Apr		1619 7 Apr.
16	xvj	28 Ma.	1535 29 Mar.	1668 27 Mar.	1554. 29 1592 27 Mar. 1687 29
17	xxvij	16 Ap.	1612 1688 15 Apr.	1536 1669 15 Apr.	1555 17 1593 15 Apr.
18	viij	5 Ap.	1689 4 Apr.	1556 1632 4 Apr.	1518 6 Apr.
19	xjx	25 Ma.		1652 24 Mar.	1519 26 1576 24 Mar. 1690 24

†. His exemplis ſatis apertè demonſtratur, quàm fallaces ſint epactę in termino paſchali demonſtrando, nam in his 200. annis, ab anno 1500. ad annum 1700. numeratur terminus paſchalis in pluribus quàm 100. annis falſò notatus, deficiens ſcilicet à vero, vel excedens eundem vt plurimùm vno die, aliquando biduo, quin etiam in-

Epactæ noui Kalẽdarij in 200. annis, initiationi eius proximis vltra centies falſum terminũ paſchalem exhibent.

terdum, vt mox ſequetur, toto menſe. Ecce egregium veſtrum Kalendarium, quàm ferueat in principio ſuæ initiationis, præſtando quod pollicetur. Nam his exemplis non inquiritur in annos aliquos procul remotos, ſed in proximos tantùm, antecedentes & ſequentes inaugurationem eius. Et ſi ex his ipſis quidam videantur vobis paulò remotiores: age reſpicite in años eos, quibus hunc fœtū enixi eſtis, & in lucem produxiſtis, ad annum 1576. 1578. 1579. 1580. 1581. 1582. 1583. Quàm turpiter voſmetipſos deridendos proſtituitis toti mundo, quòd etiam in his annis valdè enormiter erraſtis. Nunc ergò, cùm principium pro dimidio facti habeatur, cum ſpina etiam dum paruula eſt bona videatur: cuilibet licebit iudicare, quæ ſit futura perfectio eius reliqua omni reliquo tempore in perpetuum, &c.

Epactæ interdum toto menſe aberrant.

Verùm his enumeratis annis, quorum terminus paſchalis falsò deſignatur in Kalendario nouo, addendi etiam ſunt plęriq; anni, quorum his 200. annis aureus numerus eſt 14. Nam in plæriſq;, præſertim Anno 1571. 1590. 1609. 1628. 1547. 1666. 1685. hoc plenilunium non eſt primum poſt æquinoctium, ſed ſecundū, ſicut nouus calculus ex recentiſsimis obſeruationibus productus docet. Sed etſi diligens opera per nouas obſeruationes examinata, huc requiratur, quia facilimus lapſus toto menſe errare facit, Papam tamen, & Papales iſtos Mathematicos in nouis obſeruationibus non fuiſſe occupatos res ipſa docet. De hac enim re valdè magnum diſcrimen exoritur, cauſam errori multiplicem ſuppeditante canone æquationis epactarum. Nam in anticipatione lunationum & ęquinoctiorum inæquali ſępè fit, vt plenilunia quæ motibus ſuis medijs vicina ſunt æquinoctio verno, ponantur ipſo priora vel poſteriora, per multos annos citius aut tardius, quàm vllus calculus Aſtronomicus poſtulat. Hinc in nouo Kalendario multa plenilunia fiunt termini paſchales, quæ nihil minùs quàm primi menſis plenilunia ſunt, ſed vel vltimo præcedentis anni, vel ſecundo ſequentis anni menſi debentur. Eſt autem anni Eccleſiaſtici, ſicut & Iudaici (quemadmodum in Dialexi mea cap. 2. explicatur) principium à nouilunio, quod eſt æquinoctio verno proximum, ſiue in præcedentes, ſiue ſequentes dies numeretur. Vnde primus eius menſis is habetur, cuius plenilunium eſt immediatè proximum poſt illud ęquinoctium, atq; hoc plenilunium eſt terminus paſchalis, quia primi menſis eſt. Sed quid Kalendarium nouum? Intra annum 1500. & 1700. quoties aureus numerus eſt 14. ibi eo anno numeratur epacta xxiiij. & terminus paſchalis, dies 18. Aprilis. Sed mox ab anno 1700. vſque ad 1900. annis iiſdem, quorum aureus numerus eſt 14. cedit epacta

Generale examen aliquarum Epactarum.

Anni Eccleſiaſtici initium.

xxiij.

xxiiij. & terminus paſchalis 21. Martij. Cauſa huius ſaltus à 18. Aprilis ad 21. Martij, eſt anticipatio æquinoctiorum velocior anticipatione lunationum. In illis autem annis accidit, vt oppoſitio aliqua luminarium ſit ipſi æquinoctio valde vicina, ea tamen aliquandiu æquinoctio prior eſt, ſed certo elapſo tempore ſuperatur ab æquinoctio. Ibi ergò nouo Kalendario adhuc ſtatuitur luna ſoli opponi antea, quàm ipſe vernale punctum conſequitur, & hoc vſque ad annum 1700. Sed elapſo eo anno, ſtatuitur ſol non poſterius amplius, ſed prius ad vernale punctum peruenire, quàm Lunam oppoſitam videat. Plenilunia itaque illa annorum dictorum, ſunt ante annum 1700. æquinoctio priora (ſic volente Kalendario nouo) ſed poſtea ſunt poſteriora, ideóq; ipſa non ante, ſed poſt annum 1700. habenda ſunt pro termino paſchali. At Alphonſinæ tabulæ illa plenilunia faciunt ęquinoctio poſteriora iam inde ab anno 1533. Prutenicæ verò detinent ea ipſa ante æquinoctium, vſque ad annum 2084. Ergò quos Kalendarium nouum facit terminos paſchales in omnibus illis annis ab anno 1533. vſque ad 1700. ij ſecundum calculum Alphonſinum, quantum ad lunationes medias, ſunt plenilunia ſecundi menſis. Et contrà omnium eorum annorum, ab anno 1700. vſque ad 2084. illi noui Kalendarij termini paſchales ſunt ſecundum calculum Prutenicum, plenilunia vltimi menſis. Nouus autem calculus hanc ſuperationem diutius quidem differt quàm Alphonſinæ tabulæ, at non tàm diu, quantum nouum Kalendarium. Vnde multa talia plenilunia, quæ ſecundo menſi reuera debentur, aſcribuntur in nouo Kalendario primo menſi, & idcirco accipiuntur pro termino paſchali. Similis differentia continget ante & poſt annum 2200. in annis, quorum aureus numerus eſt 6. Nam ab anno 1900. vſque ad annum 2200. epacta aurei numeri 6. eſt xxiiij. & terminus Paſchalis 18. Aprilis, ſed poſt annum 2200. eidem aureo numero competit epacta xxiij. & terminus paſchalis 21. Martij. Sed & huic mutationi calculus Aſtronomicus vehementer repugnat. Quare illic etiam multa plenilunia vltimi aut ſecundi menſis falsò accipiuntur pro primi menſis paſchali plenilunio. Talis permutatio fallax, incidit etiam (ſi hunc epactarum canonem retrahamus in annos tranſactos) in annos præcedentes & ſequentes annum 1500. quorum ſcil. aureus numerus eſt. 3. Nam noui calculi ratio ponit in annis, quorum aureus numerus eſt 3. præcedentibus annum 1500. lunam prius effici plenam, quàm Sol punctum æquinoctiale conſequitur, ſed poſt annum 1500. nouus calculus facit hoc plenilunium æquinoctio poſterius, Cùm tamen

ſecun-

ſecundum Alphonſinas & Prutenicas tabulas permutatio incidat in annum 1161. Itaq; nouum Kalendarium in annis quorum aureus numerus eſt 3. reijcit paſchalem terminum per totos 340. annos in ſecundum menſem.

At multò craſsiora abſurda ſequentur annis ſequentibus. Porrò dum examinandus mihi eſt Calculus iſte noui Kalendarij, oportet me interea ei accommodare, & ex ſententia eius loqui, tanquam nec ego finem Mundi præ foribus eſſe crederem, ſed eum adhuc in multos millenos, puta ad minimum ad 40000. annos, quouſq; ſcilicet, numeri huius Kalendarij progrediuntur, dilatum iri: quanquam non opus ſit vt cancellis tam laxis circunder, ſiquidem in annis propinquioribus tanta copia abſurditatum offenditur, vt ad 40. mille annos, quouſque autor ſummam perfectionem ſibi perſuadet, excurrere non neceſſe ſit. Igitur ab anno 2200. vſq; ad annum 2300. in annis, quorum aureus numerus eſt 17. erit epacta xxiiij. & terminus paſchalis 18. Apr. Sed ab anno 2300. vſq; ad 2400. idē aureus numerus 17. exhibet ſuis annis epactam xxiij, & terminū paſchalem 21. Martij. Rurſus ab anno 2400. vſque ad annum 2500. idem is aureus numerus 17. iterum habet epactam xxiiij. & terminum paſchalem 18. Aprilis. Sed qua obſecro fronte commendatur Kalendarium nouum, nomine maximæ perfectionis, quaſi verò nemo abſurdiſſimam hanc abſurditatem animaduerſurus eſſet? Senſus enim huius calculi eſt is, cùm in annis, quorum aureus numerus eſt 17. rurſus inueniatur æquinoctio vicina luminarium quædam oppoſitio, eam tamen vſque ad annum 2300. præceſſuram eſſe ingreſſum ſolis in principium Arietis, ſed Anno 2300. futurum, vt ſol incipiat prius conſcendere in æquinoctiale punctum, quàm Luna Soli opponatur. Quare hæ oppoſitiones illorum annorum ante 2300. non poterunt eſſe, poſtea autē non poterunt non eſſe termini paſchales. Sed quod ſequitur, inde poſt annū 2400. vſq; ad 2500. terminū paſchalē denuò reijciendum in 18. April. nihil aliud eſt, quam quod æquinoctium ſit iterum retrahendum poſt plenilunium in peracta loca. Sed vnde hæc æquinoctij retrogradatio? Quomodo poſsibile eſt, vt æquinoctium, cuius anticipatio ſemper eſt velocior anticipatione lunationum, faciat plenilunium, quod terminus paſchalis eſſe cœpit, mox iterum hoc officio priuetur? Hæc res eſt profectò longè abſurdiſsima, vtpote prorſus inaudita, & toti Aſtronomicæ certitudini & veritati è diametro contraria, & idcirco ipſa per ſe ſola digniſsima, cuius gratia omnis Kalendario huic nouo exiſtimatio derogaretur. Quid vobis, vos Mathematici, Kalendarij huius Autores & patroni, iam videtur? Reſpondete. Et iſta quidem tantummodo

modo

modo de motibus medijs dicta & accipienda ſunt. Quod ſi veros motus conſiderare velimus, proh quanta turba his dictis accedet ex eorum pleniluniorum numero, quorum motus medij alioqui non improbarentur? Animaduertitis ne vos Kalendarifices, & noui Kalendarij defenſores, clientis veſtri infirmitatem, & animi etiam impotentiam? Accurrite ergo, ferte ſuppetias, ne ipſe ſuarum propriarum manuum iniuriam ſentiens, ſuo proprio gladio iugulatus, omnino pereat.

Sed aliud quoque morbi ſymptoma vobis curandum erit. Demonſtatum eſt ſuprà, quòd æquinoctium vernum verum poſſit à 21. Martij, vſq; ad 27. recedere. Futurum ergò eſt, vt omne plenilunium, quod inter 21. & verum diem veri æquinoctij, poſt 21. ſequentis incidit, à Kalendario nouo pro termino paſchali habeatur. Verùm talis oppoſitio tum non eſt primi menſis anni ſequentis, ſed vltimi precedentis anni. Hoc autem perquàm ſæpè fieri poſſe, ex eo colligi poteſt, quòd ab hoc noſtro ſeculo, vt ſuprà dictum eſt, vſque ad annum 4700. equinoctium verum multò diutius morabitur extra 21. Martij, in 22. 23. 24. & 25. eiuſdem, quàm in 21. illo, & quòd poſt annum 4700. per 10. mille annos ad 21. hunc diem nulla reciprocatione poterit redire. Contrarium eſto iudicium, quando hoc equinoctium ad 19. diem digreditur, tum enim multa ſecundi menſis plenilunia aſcribuntur primo menſi. Que ſi omnia, hoc loco recenſita, colligerentur, an non exiſtimabitis, quòd vix tot paſchales terminos veſtri Kalendarij habituri ſitis in primo menſe, quot vel in vltimo vel in ſecundo? Hoc autem examen generale tantùm eſt, quid, ſi ſpeciatim diſcuteretur, futurum opinamini? Dicetis ne porrò etiam cum Pontifice veſtro, Kalendarium hoc fore perpetuum, & ad omnem anni magnitudinem tàm congruum, ne vlli mutationi vnquam fiat obnoxium? *Alius caſus, quo Epactæ ſæpe vltimi ſæpe primi mẽſis plenilunium faciunt terminum paſchale.*

Hactenus epactas partim ad annos correctioni incho atæ vicinos, partim ad alios futuros deduximus. Liceat autem eas in preteritis quibuſdam etiam paulum examinare: Et omiſsis alijs, reſpiciamus ad Concilij Nicęni annos, quandoquidem Kalendarium hoc ab eo tempore ſuum primum exordium ſumere ſuprà demonſtratum eſt. Quod ſi fiat: animaduertemus, quàm ridiculæ & inepte abſurditates huic Kalendario nouo inſperſę ſint, vt mirum ſit, qua fronte & audacia primus Kalendarij autor auſus fuerit has ſuas nugas non alijs tantùm, ſed etiam ſuis aſſeclis obtrudere. *Examen epactarum ad tempus Niceni Concilij.*

Sed vt res ipſa melius intelligatur, fontes tabulę equationis cycli epactarum aperiendi ſunt, & compoſitio eius monſtranda, *Ratio quare tabulæ quædã, ac qui-*

quam autor, infirmitatis eius haud dubiè conſcius, occultauit, & in alium quendam librum aliquando (ad Kalendas græcas) publicandum diſtulit. Quoniam autem maxima & præcipua pars nouæ Reformationis in hac re ſita eſt: ideò placet in hunc locum reponere omnia, quæ de epactis iſtis ex Kalendario nouo ſcitu digna ſunt, partim propter pleniorem intelligentiam eorum, quæ dicta, & quæ dicenda ſunt, partim propter eos, qui Kalendarium hoc Gregorianum cum ſuis Canonibus non viderunt.

Præceptum inquirendi aureum numerum ad quemlibet annum datū.

Epactę igitur per aureum numerum indicantur. Sed aureus numerus nihil aliud eſt, quàm cyclus decemnouennalis. Quotus verò quilibet datus annus ſit in hoc cyclo, vel quis ex 19. numeris aurei numeri cuiq; anno debeatur, cognoſcitur tàm ex veteri quàm nouo computo, hoc modo. Addatur 1. ad annum datum labentem, & tota ſumma diuidatur per 19. numerus ergò ſi quis relinquitur, eſt is, qui anno dato congruit, ſed ſi nullus numerus ſit reſiduus, tum anni dati aureus numerus eſt 19. ſiue, is annus eſt poſtremus in cyclo decemnouennali. Vt: pro inueniendo aureo numero anni 1586. addatur 1. ad 1586. & fient 1587. hoc numero per 19. diuiſo, in reſiduo erunt 10. aureus ſcilicet numerus anni 1586.

Ratio Epactarum.

His 19. numeris cycli decemnouennalis correſpondent in nouo Kalendario, perpetuò 19. aliquæ epactę, deſumendæ ex epactis 30. attamen non ſemper eædem, ſed alio tempore hæ, alio alię. Variationis huius cauſæ duę ſunt, prior eſt anticipatio lunationum, quia ipſę ſingulis 300. annis ferè vno die anticipant, altera eſt eliſio trium dierum in ſingulis 400. annis propter ęquinoctiorum anticipationem. Has ob cauſas epactarum ſeries aureis numeris attribuendarum, eodem modo, ſicut ſuprà de literis dominicalibus, congruentibus numeris cycli ſolaris, interrumpuntur. Vt autem ſciri poſſit, quę 19. epactę ex illis 30. in nouo Kalendario quouis tempore competant aurei numeri 19. numeris: autor earum eas in tabula cycli epactarum perpetua ſequenti, certo ordine diſtribuit, ſecundum quem ſingulæ 19. epactę numerandæ ſint. Vt, ſi ſit faciendum initium in prima cellula, tum epacta ibi incluſa cedit aureo numero 1. ſecundæ cellulæ epacta numero aureo 2. tertiæ, 3. & ſic conſequenter vſq; ad 19. cellulam, reliquæ verò alijs cellulis incluſæ negliguntur. Sed ſi initium fiat in ſecunda cellula, tum eius epacta primo aureo numero, ſequens ſecundo, denuo ſequens tertio, & ſic conſequenter eadem ratione ſeruata, attribuitur.

TABV-

TABVLA CYCLI EPACTARVM perpetua.

P	l	C	c	p	F	f	s	M	i	A
*	xj	xxij	iij	xiiij	xxv. 25	vj	xvij	xxviij	ix	xx
a	m	D	d	q	G	g	r	N	k	B
j	xij	xxiij	iiij	xv	xxvj	vij	xviij	xxix	x	xxj
b	n	E	e	r	H	h	u			
ij	xiij	xxiiij	v	xvj	xxvij	viij	xix			

Hac tabula illud quoque monendum, quod autor eius pro epacta 30. ponit * aſteriſcum. Deinde in cellula ab initio ſexta, ſcribitur epacta xxv. & 25. diuerſis characteribus, de hac epacta autor diligenter monet, quòd ſi aliquis aureus numerus ab 1. vſq; ad 11. incluſiuè, inciderit in cellulam eam, ſumenda ſit epacta xxv. ſed ſi eodem venerit aureus aliquis numerus à 12. vſq; ad 19. quòd ei attribuenda ſit epacta 25. Sed quia omnes epactæ non præſtant quod promittunt, ſicut ſuprà demonſtratum eſt, non eſſe opus exiſtimo, vt in huius diuerſitatis cauſas laborioſè inquiram, poteſt enim hæc res ſine omni periculo differri, donec aliquando autor ipſemet in libro ſuo aliquando edendo, rationes reddiderit.

Vt autem ſciatur, vbi quouis tempore ſit numerationis initium faciendum: ideò autor epactis ſingulis aliquas literas ſuperimpoſuit, quæ, ſicut in tabula cycli ſolaris, ſunt æquationum, vel principij indices. vt epacta j. habet literam a. epacta ij. habet b. epacta iij. c. & ſic reliquæ. Huius gratia autor tabulam æquationis ſubiecit, in qua ſimiles literæ ſingulis annis centenarijs præfiguntur, vt indicent, quæ epactæ inſeruiant annis ab eo centenario ad ſequentem. Nam quælibet litera in tabula æquationum ſcripta, & quæſita in tabula præcedente, continet ſub ſe epactam, quæ in eo ſeculo competit aureo numero 3. Hinc initio facto à cellula inde tertia præcedente, per conſequentes vſq; ad 19. habebuntur omnes epactæ eius ſeculi, quarum prima conuenit aureo numero 1. ſecunda 2. & hæc tertia ſub indice litera, aureo numero 3. & ſic vſque ad 19. vt ſi index litera D. ſit, qualis eſt ab anno correctionis 1582. vſq; ad 1600. & inde etiam ad 1700. ibi tum in quibuſcunq; annis intermedijs ab 1582. vſque 1700. aureus numerus eſt 1. eis debetur epacta j. quæ tertia eſt ante indicem D. anni autem, quorum aureus numerus eſt 2.

habent epactam xij. & aureo numero 3. contingit epacta xxiij. quæ ſcilicet ſub indice poſita cernitur, & ſic de reliquis; quemadmodum ſuprà in examine termini paſchalis annorũ intra 1500. & 1700. huiuſmodi epactas aureis numeris cedere dictũ eſt. Eſt autẽ D. litera index ab anno 1582. poſt correctionem, ſed ſi anni præcedentes itidem cum correctione noua conſerantur, tum & ipſi vſque ad annum 1500. eadem litera indice fruuntur, vt mox ſequetur. Quare autem autor indicem literam ſuperimponat Epactæ, quæ aureo numero 3. cedit, nec præferat hoc negotio aureum numerum 1. ego quidem rationem non video, niſi argutias quaſdam ocioſas ſectetur, nihil enim commoditatis in calculo inde animaduerto, nec quicquam precij ea in re ſitum eſſe puto. Sicut ergò 19. epactæ illæ, congruentes indici D, inuentę ſunt, ita pro ſingulis alijs literis indicibus epactę inueſtigantur. Vnde ipſę ſecundum 30. indices, in 30. ordines, quorum ſinguli 19. epactas reſpondentes 19. numeris aurei numeri continerent, expandi poſſent.

Compoſitio tabulæ æquationis cycli epactarum perpetui.

Ratio compoſitionis tabulæ epactarum ſic intelligatur. Conſignentur omnes & ſinguli anni centenarij ab anno 1600. incipiendo, ex quibus omnes illi, quibus biſſextilis dies decerpitur, notentur aſteriſco, vel aliquo numero: Notentur etiam anni quibus lunationum anticipatio vnum diem compleuit, quos autor Kalendarij, commoditatis gratia, ſicut & intercalarium expunctiones, in plenos centenarios annos reiecit. In tabula ſequenti, anni illi vtrobiq; notati ſunt numero 1. reliqui figura 0. Quoniam verò lunationum anticipatio pro vno die non præcisè poſtulat 300. annos ſed 304. annos, fit vt 4. illi anni aliquoties repetiti, & coaceruati, tandem etiam integrum centenarium compleant. Hinc autor, ſicut in ſequente tabula videre eſt, intra annum 3900. & 4300. pro anticipatione vnius diei non 300. ſed 400. numerauit, &c.

SEQVITVR TABVLA AEQVATIONIS Epactarum perpetui.

Hac tabula columna prima ſunt literę epactarum indices, ſecunda ſunt anni à Chriſto numerati, quos ex Kalendario Gregoriano tranſcripſimus. His adiecimus tertia columna notas eliſorum dierum intercalarium, & quarta anticipationes lunationum die vna, vt ex eis fundamentum conſtructę tabulę intelligatur.

Anni

	Anni Domini	Intercalar. omiſſ.	lunation. anti.		Anni Domini	Intercalar. omiſſ.	lunation. anti.		Anni Domini	Intercalar. omiſſ.	lunation. anti.
N	1			A	2200	1	0	q	3600 biſſ.	0	1
P	320 biſſ.			u	2300	1	0	p	3700	1	0
P	500 biſſ.			A	2400 biſſ.	0	1	n	3800	1	0
a	800 biſſ.			u	2500	1	0	n	3900	1	1
b	1100 biſſ.			t	2600	1	0	n	4000 biſſ.	0	0
c	1400 biſſ.			t	2700	1	1	m	4100	1	0
Detractis x diebus.				t	2800 biſſ.	0	0	l	4200	1	0
D	1582			s	2900	1	0	l	4300	1	1
D	1600 biſſ.	0	0	s	3000	1	1	l	4400 biſſ.	0	0
C	1700	1	0	r	3100	1	0	k	4500	1	0
C	1800	1	1	r	3200 biſſ.	0	0	k	4600	1	1
B	1900	1	0	r	3300	1	1	i	4700	1	0
B	2000 biſſ.	0	0	q	3400	1	0	i	4800 biſſ.	0	0
B	2100	1	1	p	3500	1	0	i	4900	1	1

Quoniam ergo ex autoris ſententia illæ epactæ , quarum index eſt D. congruunt annis à 1600. ad 1700. vt ſuprà dictum eſt, ideo anno 1600. præfigitur epactarum index litera D. verùm anno 1700. dies intercalaris abijcitur , quieſcente lunatione , ipſius enim anticipatio diem nondum compleuit : idcirco omnes lunationes vno die fiunt poſteriores , vt : cùm intra 1600. & 1700. omnes anni , quorum aureus numerus eſt 3. haberent epactam xxiij. h. e. cùm in Kalendario nouo , vbicunque eſt expacta xxiij. luna in illis annis eo die fieret noua, ſeu cùm in tabula Paſchali , quæ paulò poſt ſequetur , epacta xxiij. oſtenderet in illis annis terminum Paſchalem in 21. Martij : hoc idem poſt reiectum biſſextilem diem anni 1700. continget die mox ſequente , qua epacta eſt xxij. Idcirco aureus numerus, 3. habebit tum epactam xxij. huius autem index in tabula epactarum eſt C. Igitur C. litera præfigitur anno 1700. Quod de annis , quorum aureus numerus eſt 3. dicitur , hoc idem de reliquis omnibus eſt accipiendum. Placuit autem loco omnium reliquorum exempli loco eligere aureum numerum 3. propterea quòd autor huic ſuperimpoſuit literam indicem , vt antea monui.

Deinde anno 1800. eliditur vnus intercalaris dies, & ibidem ſimul lunationis anticipatio diem abſoluit, igitur facta mutua compenſatione, cyclus epactarum hoc centenario non interrumpitur, ſed index C hic etiam permanet.

Preterea anno 1900. idem accidit quod anno 1700. vnde aureus numerus 3. tranſit ad epactam xxj. cuius index eſt B.

Iterum, anno 2000. & 2100. cyclus hic non interrumpitur, in illo enim quieſcit & lunatio & dies intercalaris, in hoc autem ſimilis ratio eſt, quæ anno 1800. Quare index B per 300. annos in officio monſtrandæ equationis epactarum retinetur.

Rurſus annus 2200. & 2300. conuenit cum anno 1800. quare aureus numerus 3. deſcendit in illo anno ad epactam xx. in hoc ad xix. literam indicem ibi habens A, hic u.

At anno 2400. poſtquam lunatio denuo diem anticipando conſumaſſet, intercalaris diei nulla fit amiſsio, ideo lunatio in aureo numero ex xix. denuo aſcendit in xx. epactam & indicem A, denuo conſequitur. Sic etiam de reliquis eſt ſentiendum, ſimili enim via inuentæ ſunt ſingulæ literæ indices poſt annum 1582. correctionis. Nec etiam aliud ſubtilius tabulæ huius fundamentum eſt, quanquam autor id ſtudioſè (ne dicam malitioſè) occultauit.

Quid verò de reliquis annis ſit ſentiendum, qui annum 1582. correctionis precedunt, autor ſanè ſatis intricatè propoſuit, ſi quis tamen paulò diligentius examinet, facilè colligere poterit, quibus vſus fuerit fundamentis, & quo in loco haberi mereantur.

Ex literis indicantibus æquationem epactarum, quas autor in tabula proxima præpoſuit, annis præcedentibus annum 1582. animaduertere licet, quòd à principio annorum Chriſti, vſque ad annum 320. aſcripſerit aureo numero 3. epactam xxix. litera enim index eſt N, ſed ab anno 320. vſque ad 800. attribuerit eidem epactam 30. quam ipſe aſteriſco * notat, item quòd annis ab 800. vſque ad 1100. eidem aureo numero 3. conceſſerit epactam j. & inde ad 1400. epactam ij. & rurſus à 1400. ad 1582. epactam iij. quam poſt correctionem permutauit in xxiij. Et quod de hoc aureo numero 3. moneo, idem de reliquis correſpondentibus intelligitur, quemadmodum paulò antè dixi. Igitur hoc toto tempore lunationes paulatim anticipare ſtatuuntur. Ergo cyclum Epactarum huic tempori correctum adhibet, equinoctiorum verò anticipationem omittit, ſicut ſequens tabella indicat.

Tabula

TABVLA AEQVATIONIS EPACTARVM expanſa, quam noui Kalendarij autor in annis ante correctionem contraxit.

	Anni Domini	Intercalar: omiſ.	lunation. anti.		Anni Domini	Intercalar: omiſ.	lunation: anti:		Anni Domini	Intercalar: omiſ.	lunation. anti.
N	0 biſſ.	0	1	P	700 biſſ.	0	0	c	1400 biſſ.	0	1
N	100 biſſ.	0	0	a	800 biſſ.	0	1	c	1500 biſſ.	0	0
N	200 biſſ.	0	0	a	900 biſſ.	0	0	Detractis x diebus.			
P	300 biſſ.	0	1	a	1000 biſſ.	0	0	D	1582	10	
P	400 biſſ	0	0	b	1100 biſſ.	0	1	D	1600 biſſ.	0	0
P	500 biſſ.	0	0	b	1200 biſſ.	0	0	C	1700	1	0
P	600 biſſ.	0	0	b	1300 biſſ.	0	0	C	1800	1	1

Hac tabula, quæ iuxta ſententiam autoris ex proximè præcedente tabula producta eſt, videre licet, in quo precio totum hoc opus habendum ſit. Nam primò quidem, quomodo computus autoris congruat cum calculo Aſtronomico, docent lunationũ æquationes inter annũ 1400. & 1800. & in pręcedēte tabula inter annum 3900. & 4300. Dictum eſt paulò antè, quòd lunationũ anticipatio pro vno die poſtulet 304. annos, quorum gratia æquationes, diſtribuendæ tantùm per centenarios annos, exigant aliquando non ſolummodò 300. ſed 400. annos. Verùm huiuſmodi periodus exigit vicies quinquies trecentenos annos: Nam 4. illi anni accedentes annis 300. non complent quartum centeſimum annum, niſi vicies quinquies coaceruentur. Sed autor huiuſmodi ęquationem partitur tantùm per vicies quinquiès cētenos ãnos, videlicet ab anno 1600. ad 4100. quod profectò calculo Aſtronomico planè contrariũ eſt, nec vllam excuſationem, aut à falſitate abſolutionem ferre poteſt. 1. Error autoris noui Kalendarij in compoſitione tabulæ æquationum cycli epactarum perpetui.

Deinde hunc vitioſum calculum, ne ex imprudentia cõmiſſus putetur, autorem nõ pudet alio magis vitioſo compenſare, & in veritatem Aſtronomicam data opera grauius impingere. Ipſe enim pro ęquatione lunationum ab anno 300. (vel 320.) vſque ad 800. hoc eſt, annis 500. reponit vnicum tantùm diem anticipationis. Quæ res longè omnium abſurdiſsima, & in Aſtronomia falſiſſima eſt. Nam contingere quidem interdum poteſt, ſicut modò dictum eſt, vt propter 4. annos adhærentes annis 300. lunationum anticipatio ad vnum diem abſoluendum poſtulet annos 400. Sed ad 500. annos talis numeratio nunquam extendi poteſt. Et præſertim 2. Error autoris affectatus.

tim

tim eius loci non eſt; huiuſmodi æquationem vltra 300. annos interſerere, annus enim 800. ab anno 1400. vbi quarti huius centenarij æquatio interpoſita eſt, abeſt tantummodo 600. annis, quod ſpacium nimis procul à periodo huius æquationis, quæ eſt, vicies quinquies treceneni anni, diſtat. Nec poſsibile eſt, errorem hunc fuiſſe autori incognitum, nimis craſſus enim & palpabilis eſt. Cauſam autem, quare à manifeſta veritate diſcedere voluit autor, haud dubio hæc eſt, quòd nimirum ipſe ſingulari ſtudio attendit ad aureum numerum vſitatum, ideoq; epactas ſuas omni modo reluctantes, capillis attrahendo adegit, vt cum aureo numero tempore Nicæni Concilij concordarent. Hoc autem fieri non potuit, niſi enormi hoc ſolœciſmo commiſſo, maluit ergo ſuos numeros aureo numero (quem non animaduertit, lunationibus illius ſeculi nequaquam ſatisfacere) eſſe congruos, quàm cum calculo Aſtronomico conſentire. Ecce hæc ſunt fundamenta tabulæ æquationis epactarum cycli perpetui, & quidem eius tabulæ, quæ præ reliquis omnibus numeris & tabulis totius nouæ reformationis, eſt maximè artificioſa.

Quòd ſi verò autor hanc lunationum anticipationem continuaſſet eodem ſtilo quo antea, per annos 300. aliam profectò literam æquationis epactarum indicem ſub tempore Nicæni Concilij inueniſſet, ſicut hac tabula ſequente patet.

TABVLA AEQVATIONIS EPACTArum, qualis ab autore noui Kalendarij conficienda fuiſſet ad annos correctionem præcedentes.

	Anni Domini	Intercalar: omiſ.	lunation. anti.		Anni Domini	Intercalar: omiſ.	lunation. anti.		Anni Domini	Intercalar: omiſ.	lunation. anti.
M	0 biſſ.	0	0	P	700 biſſ.	0	0	c	1400 biſſ.	0	1
M	100 biſſ.	0	0	a	800 biſſ.	0	1	c	1500 biſſ.	0	0
N	200 biſſ.	0	1	a	900 biſſ.	0	0	Detractis x diebus.			
N	300 biſſ.	0	0	a	1000 biſſ.	0	0	D	1582	10	
N	400 biſſ.	0	0	b	1100 biſſ.	0	1	D	1600 biſſ.	0	0
P	500 biſſ.	0	1	b	1200 biſſ.	0	0	C	1700	1	0
P	600 biſſ.	0	0	b	1300 biſſ.	0	0	C	1800	1	1

Hac

Hac tabula annis Concilij Nicæni congruit litera index epactarum, non P. ſed N.

Et vt nugatorius & inanis calculus totius tabulæ huius ab autore noui Kalendarij confectæ melius pateat, conſiderabimus eam adhibita correctione etiam æquinoctiorũ, quemadmodum cap. 1. factum, ſiquidem huius correctionis, ſeu noui Kalendarij fundamentum omne, atque adeò prima origo à Concilio Nicæno dependet. Indicem igitur literam illius ſeculi ſequens tabula oſtendit.

TABVLA ÆQVATIONIS CYCLI EPACTArum ad annos præteritos, qua correctio tàm lunationum, quàm æquinoctiorum eodem modo obſeruatur, quo in futuro tempore obſeruanda ab autore noui Kalendarij traditur.

P	0	biſſ.	0	0	G	700		1	0	E	1400		1	1
N	100		1	0	H	800	biſſ.	0	1	D	1500		1	0
N	200		1	1	G	900		1	0	D	1600	biſſ.	0	0
M	300		1	0	F	1000		1	0	C	1700		1	0
M	400	biſſ.	0	0	F	1100		1	1	C	1800		1	1
M	500		1	1	F	1200	biſſ.	0	0	B	1900		1	0
H	600		1	0	E	1300		1	0	B	2000	biſſ.	0	0

Hic rurſus animaduertere poteſtis, vos Mathematici, noui Kalendarij Patroni, quid certitudinis ſubſit veſtro Kalendario. Seculo Nicæni Concilij videris ex hac poſtrema tabula iuxta correctionem noui Kalendarij obſeruatam, tàm in æquinoctiorum, quàm lunationũ anticipatione, congruere indicem epactarum literam M. Sed ex proximè præcedente tabula, qua lunationum correctio tantùm retinetur, videris eidem ſeculo debere literam indicem N. At autor Kalendarij, vt vobis falsè imponat, contra proprium ſuum calculum & intentum vobis obtrudit literam P. Habetis ergo ad eoſdem annos, verbi gratia, quorum aureus numerus eſt 3. tres epactas, videlicet propter literam indicem æquationis M. epactam xxviij. propter literam N epactam xxix. & propter literam P epactam 30. quę * aſteriſco notatur. Sed cur hoc repræhendo? Gratulabor potius vobis de abundantia Kalendarij veſtri. Si .n. triplici calculo hoc vnica tantùm litera index offerretur (quod alioqui in

Pro tempore Nicæni Concilij autor aliam literam indicem epactarum ponit: Ratio calculi eius aliam denotat: & nouæ correctionis ratio itidem aliam poſtulat.

calculo aſtronomico, quin & omni arithmetico fieri ſolet, is enim vtcunque varietur, nunquam tamen à ſeipſo diuerſus deprahendi- tur) forſan non tam certi eſſe poſſetis de nouiluniorum, vel de pleniluniorum Paſchalium diebus determinandis: nunc autem cum pro vno die ternos habeatis, vix fieri poteſt, vt à vero aberretis. Attamen interim hinc patet, quòd noui Kalendarij autor in calculo Aſtronomico exquiſite examinando, & cum ſuis numeris conferendo, non admodum deſudarit. Vos ergo ipſi iudicate: Si autor hęc non intellexit, dignus ne ſit, cuius autoritati in reliquis quicquam tribuatur, idq; propter pudendam, ſeu affectatam ignorantiam: Sin conſcius fuit horum, an non diris ſit deuouendus, quia & Pontifici veſtro, & vobis omnibus ſuis aſſeclis, & vniuerſo Chriſtianorum orbi, malitioſè fucum fecit.

Hactenus de tabula cycli epactarum continuata retrò ad annos Concilij Nicæni. Conſideremus quæſo iam, quid huius tabulæ numeri præſtent in termino Paſchali (nouilunia data opera prætereo) demonſtrando. Iſtud verò ex tabula ſequente fit conſpicuum. In qua prima columna annos aliquot, vid. annos vnius cycli decemnouennalis cōplectitur, & quidem eos, intra quos Concilium Nicænum celebratum eſt. Secunda numerat plenilunia ſeu terminos eorum annorum Paſchales iuxta medios motus. Tertia determinat eoſdem Paſchales terminos iuxta veros motus. Quarta aureum numerum eorum annorum recitat. Quinta habet epactas & terminum Paſchalem, prout ab indice litera P. exhibentur. Et cum his correſpondet numeratio antiqua Aurei numeri. Sexta & ſeptima eaſdem epactas & terminos recenſet: ſexta quidem ſecundū indicem literam N. productam ex correctione anticipationum lunationum ſola: ſexta aūt ſecundum indicem literam M. productam ex vtriuſque anticipationis, æquinoctiorum & lunationum correctione.

Anno 330. Prutenicæ tabulæ reijciunt plenilunium Paſchale in 19. diem Aprilis, ipſis enim die 21. Martij Soli Luna opponitur, antequam Sol æquinoctium vernum conſecutus fuerit. Sed recentiorum tabularum calculus, conſentiens hoc loco tabulis Alphonſinis, docet ſolis ingreſſum in arietem præcedere aliquandiu hoc plenilunium, ideo ſecundum has terminus Paſchalis incidit in 21. Martij.

Conuertite ergo vos Mathematici in hanc tabellam oculos, & videbitis, quòd ternis his epactis nulla inueniatur, quæ in totū pauculis his annis ſatisfaciat. Nam autoris numeri ſecundū ſuam P. literam

TABVLA MONSTRANS, QVOMODO CALculus epactarum & termini Paſchalis noui Kalendarij cum calculo Aſtronomico, tempore Concilio Nicano propinquo, conueniat.

Añi Domini.	Plenilunia paſchalia media			Plenilunia paſchalia vera.			Aureus numerus.	Iuxta lit: indic. epact. P. Et iuxta Aureũ numerũ antiquum Epa.	ter. pa		Iuxta literã indicẽ Epactarum N. Epa.	ter. pa.		Iuxta literã indicem epactar. M. Epa.	ter. pa.	
	Menſ.	di.	hor.	Menſ.	di.	hor.			Me	di		Me	di		Me	di
323	a	7	10 a.m.	a	7	10 p.m.	1	viij	a	5	vij	a	6	vj	a	7
324	m	26	7 p.m.	m	27	8 a.m.	2	xix	m	25	xvij	m	26	xvij	m	27
325	a	14	5 p.m.	a	15	3 a.m.	3	*	a	13	xxix	a	14	xxviij	a	15
326	a	4	2 a.m.	a	4	5 a.m.	4	xj	a	2	x	a	3	ix	a	4
327	m	24	10 a.m.	m	24	7 a.m.	5	xxij	m	22	xxj	m	23	xx	m	24
328	a	11	8 a.m.	a	11	2 a.m.	6	iij	a	10	ij	a	11	j	a	12
329	m	31	5 p.m.	m	31	11 a.m.	7	xiiij	m	30	xiij	m	31	xij	a	1
330	a	19	2 p.m.	a	19	1 p.m.	8	xxv	a	18	xxiiij	a	18			
	m	21	2 a m.	m	21	5 a.m.								xxiij	m	21
331	a	8	11 p.m.	a	9	7 a.m.	9	vj	a	7	v	a	8	iiij	a	9
332	m	28	8 a.m.	m	28	10 p.m.	10	xvij	m	27	xvj	m	28	xv	m	29
333	a	16	5 a.m.	a	15	6 p.m.	11	xxviij	a	15	xxvij	a	16	xxvj	a	17
334	a	5	2 p.m.	a	5	11 p.m.	12	ix	a	4	viij	a	5	vij	a	6
335	m	25	11 p.m.	m	26	1 a.m.	13	xx	m	24	xix	m	25	xviij	m	26
336	a	12	9 p.m	a	12	5 p.m.	14	j	a	12	*	a	13	xxix	a	14
337	a	5	2 a.m.	a	2	12 mane	15	xij	a	1	xj	a	2	x	a	3
338	m	22	2 p.m.	m	22	12 merid.	16	xxiij	m	21	xxij	m	22	xxj	m	23
339	a	10	12 meri.	a	10	1 p.m.	17	iiij	a	9	iij	a	10	ij	a	11
340	m	29	9 p.m.	m	30	7 a.m.	18	xv	m	29	xiiij	m	30	xiij	m	31
341	a.	17	6 p.m.	a	18	7 a.m.	19	xxvi	a	17	25	a	17	xxiiij	a	18

Epactæ terminum Paſchalem tempore Nicæni Concilij monſtrando, nimis vitioſæ deprehenduntur.

rám epactarũ índicem, in his 19. annis aberrat decies octies, & quidem ſæpe toto biduo deficiunt. Et litera index N, yndecies falſa deprehenditur. Litera aũt M, quindecies excedit veritatem Aſtronomicam vno quidem die vt plurimum, quater aũt biduo. Cùm ergo hoc Kalendarium veſtrũ & ſecum, & cum autore ſuo, & cum veritate Aſtronomica nimium pugnet, nec ad primam ſuam originem redire poſsit, falſum enim terminum Paſchalem, falſum diem Dominicum, & falſum Paſcha numerat, nec non innumeris modis vitioſum eſt: Quibus quæſo rationibus perſuadebitis poſthac nobis, quòd correctio eius cum Nicæno Concilio conſentiat?

Cùm hactenus plæraq; quæ ad nouum Kalendarium, eiuſq́ue rationes tàm intelligendas, quàm examinandas, ſcitu digna ſunt, ſcripto huic inſerta ſint, nõ abs re fore exiſtimo, ſi iam hoc loco tabulam Paſchalem ex eodem Kalendario nouo apponam, facit enim ea nõ parùm ad cognitionem eorum, quæ hactenus de termino Paſchali dicta ſunt, & quæ de Paſchate infrà dicenda reſtant. Quanquam aũt in Kalendario nouo duæ tabulæ Paſchales inueniantur, altera tamen plus ſubtilitatis, altera vero plus vtilitatis (quod ad nouum quidem Kalendarium attinet) habet, ideo priori omiſſa, quandoquidem in effectu conſentiunt, alteram ponam, qua tamen reliquorum feſtorum mobilium terminis itidem omiſsis, propterea quòd vno ex illis dato, reliqua feſta mobilia omnia ſciuntur, terminum Paſchalem ſaltem notabo.

TABVLA PASCHALIS ANtiqua reformata.

cyclus epacta rum.	Lit: dñi cal.	dies Paſchę	cyclus epacta rum.	Lit: dñi cal.	dies Paſchę	cyclus epacta rum.	Lit: dñi cal.	dies Paſchę	cyclus epacta rum.	Lit: dñi cal.	dies Paſchę
		Ma.			Ma			Ap.			Ap.
xxiij			xiiij	e	30	v	g	8	25 xxvj	b	17
xxij	d	22	xiij	f	31	iiij	a	9	xxv xxiiij	c	18
xxj	e	23	xij	g	1 ap.	iij	b	10		d	19
xx	f	24	xj	a	2	ij	c	11		e	20
xix	g	25	x	b	3	j	d	12		f	21
xviij	a	26	jx	c	4	*	e	13		g	22
xvij	b	27	viij	d	5	xxjx	f	14		a	23
xvj	c	28	vij	e	6	xxviij	g	15		b	24
xv	d	29	vj	f	7	xxvij	a	16		c	25

Vſus

Vſus huius tabulæ eſt: Inuenta epacta congruente anno alicui dato, mittemus eam in hanc tabulam. Ea igitur è regione mox habet diem, qui terminus paſchalis eſt, ſiue in quo lunam ſecundum calculum nouum oportebat primo poſt æquinoctium eſſe plenam, ſoliq́ue oppoſitam. Inde proxima dies Dominica, quæ ſequitur, eſt Dominica paſchalis.

Ex his ſatis liquidò patet, quin & meridiana luce clarius eſt; quòd non tantùm menſtruus epactarum in nouilunijs ſignificandis, ſed & annuus vſus in termino paſchali determinando concidat, & inutilis ſit. Menſtruum erratum condonari quidem poſſet, tanquam quo haud multum pretij ſitum eſt, cui etiam alijs medijs ſubuenitur. At quòd in annuo vſu, qui quotannis vnicus tantùm ab ipſo exigitur, & in quo cardo totius negotij ponitur, vtpote, qui totius & omnis huius negotij & certaminis de Kalẽdarij correctione, fundamentum eſt, tàm enormes ſolœciſmi committuntur: hoc demùm intollerabile eſt. Quid igitur ſupereſt, cuius gratia Kalendarij noui autoritas cõmendationem mereatur, niſi forſan, quòd Epactarum tabula, earumq́ue æquationes magno labore conſtiterunt? Confiteor quidem eam tabulam, qua adæquantur omiſsiones tridui in 400. annis, propter æquinoctiorum anticipationem, cũ æquatione vnius diei in 300. annis, propter lunationum aſcenſum, eſſe non nullo artificio, & ſatis pulchra phantaſia conditum: ſed quid præſtare poſsit iſta bona phantaſia, hoc capite demonſtratum eſt. Quare ſi vos Mathematici volueritis vlterius hoc veſtrum Kalendarium defendere, pugnate pro eo, tanquam pro focis & aris. Hoc enim niſi feceritis, profectò tàm ineptus nemo eſt, qui in poſterum veſtris commendationibus fidem habeat. Verùm ſi in harenã " deſcendere volueritis, oportebit vos rationibus Aſtronomicis ar- " matos eſſe, alioqui nequaquam digni habebimini, cum quibus quiſ- " quam congrediatur. Notum enim eſt vobis, Mathematicum pro " defenſione bonæ cauſæ Mathematicę, ſemper poſſe ſufficientiſsi- " mas rationes ex ipſis mathematum fontibus, tanquam ex proprio, " perfectiſsimo & ampliſsimo ſuo ſubiecto, proferre: quare qui quæ- " uis obuia aliunde corradit; indignus eſt reſponſione, propterea " quòd aut cauſam malam fouet, aut præ nimio ſupercilio mauult ex " remotis riuis, ſæpenumero turbidis, quàm in propinquo ex " limpidiſsima ſcaturigine haurire aquam. Præſta- " te igitur vos viros, agite quid poteſtis.

Caput Tertium.

AN FESTUM PASCHAE IN KALENDARIO nouo quotannis celebrandum veniat in die Dominica ſequente plenilunium, quod immediatè proximum eſt poſt æquinoctium vernum verum, ſiue poſt 21. diem Martij.

Concilij Nicæni decretum de paſchate, eiusque occaſio.

IN Concilio Niceno, cùm diſſentientes Eccleſiæ Aſianę ſeu Orientales, atq; Romanenſes ſeu Occidentales, conciliarentur, ſancitum eſt, vt paſchale feſtū non amplius in ipſo die plenilunij, proximi poſt æquinoctium vernū (ſicut vſitatum erat orientalibus Eccleſijs, retinentibus hoc loco ritus Iudæorum) celebretur, ſed vt ea feſtiuitas differatur poſt dictum illud plenilunium vſq; in proximā diem Dominicam ſequentem. Quoniam aūt æquinoctium eo tempore fortè fortuna (quantum ad huius Concilij ordinationem attinet) inuentū eſt in 21. Martij, noluit Concilium in eo quidquam turbare, ſed eum diem, atque æquinoctium pro ijſdem habuit. Hinc aūt multis vociferationibus totum cælum & omnem orbem Chriſtianum replent Pontificij, dicentes, hunc ſolum diem 21. Martij eſſe propriā ſedem ipſius æquinoctij verni, & inde ab hoc ſolo numerandum eſſe plenilunium paſchale, poſt quod proxima ſequenti Dominica celebrandum ſit paſcha. Sed quid hac de re ſentiendū, an ſc. Eccleſia Chriſtiana ſit obligata decreto Concilij huius, vt reſpiciat immediatè ad diē hunc 21. qui concilio huic quaſi fortuitus erat, & quę alia huius ſunt: ſatis explicatum, declaratum & demonſtratum eſt in Dialexi mea germanica, præſertim cap. 6. & 7. quæ omnia hic quaſi repetita ſint. Veruntamen ſi hoc etiam loco decreto Concilij illius ſit in reformatione noui Kalendarij ſatisfactum, quemadmodum Pontifex ea de re in Bulla gloriatur, conuenit vtiq;, vt ſingulari prudentia proſpectum ſit paſchali huic feſto, ne in aliud tempus, aliumu'e locum reponatur, quàm in eum qui à concilio illo decretus eſt. Quod vt rectiſsimè fieret, vitanda fuerunt quinq; loca vel tempora ceu erronea & illegitima, quia in eis, vt autor Kalendarij noui alijq; Pontificij aſſerunt, non poſsit abſq; peccato, & læſa conſcientia paſcha celebrari. Ea ſunt: 1. ne celebretur feſtum paſchale in luna decimaquarta, hoc eſt, ne Dominica paſchatis incidat in ipſum plenilunij diē. 2. ne anteuertat lunam plenam. 3. ne poſtponatur viceſimæ primæ lunę, hoc eſt, ne celebrari contingat in ſecunda demum Dominica poſt plenilunium, quando luna iam tum ſuperauit tertiam ſuam quartam

ſeu

ſeu dichotomiã. 4. ne inueniatur in vltimo menſe, hoc eſt, ne ſequatur eam luminariũ oppoſitionem, quæ pcedit ęquinoctiũ. 5. ne in ſecundum menſem reijciatur, hoc eſt, ne non primum, ſed ſecundum plenilunium poſt æquinoctium vernum verum accipiatur pro termino paſchali. Harum poſitionum primam noui Kalendarij autor, canone 2. ſæpius citato, planè hæreſeos accuſat, quia ſecundum eam celebretur ſacroſanctum Paſcha cum quartadecimanis hæreticis. Secundam verò & quartam dicit eſſe abſurdiſsimas. Tertiam tamen minori cum peccato admitti poſſe putat, ſubinnuens ſc. reliquas magno peccato conſcientias polluere. Quintæ autem ipſe quidem non meminit, ſed ea ab alijs eius aſſeclis miris modis exagitatur. Menſem enim ſecundum eſſe volunt tantùm immundorum, quia olim Iudęi immundi menſe ſecundo demũ Paſcha facere potuerunt. Ita nimirum placet eis textum Num. 9. in nouum teſtamentum huic loco applicare. Si quis huiuſmodi iudicium ipſius Autoris Kalendarij noui, & aliorum eius aſſeclarum, de his non legitimis poſitionib. Dominicæ paſchatis, audiat, an non exiſtimabit, eas omnes & ſingulas ęgregiè & artificio ſingulari, in nouo Kalendario, tanquã ſcopulos immanes, euitatas eſſe? Sed quàm nihil eorum ſit, quod ibi expectatur, & quàm inanis atque falſiſsima ſit perſuaſio, colligi poteſt haud difficulter, non quidem ex commendatione Autoris, ſed ex examine numerorum eius, hoc eſt, partim ex hactenus demonſtratis, de æquinoctiorum ſede minimè fixa, & de fallacibus epactarum numeris, partim verò ex ijs quæ ſequuntur.

Primò enim, propter Epactarum numeros toties aberrantes à vero termino paſchali, fit, vt nouum Kalendarium ſeipſum omneſque ſuos patronos Quartadecimanæ hæreſeos crimine inuoluat. Nam non rarò reponit Dominicam paſchalem in ipſum plenilunium, toties nimirum, quoties accidit, diem illum, quo verus terminus paſchalis ſequitur terminum Kalendarij falſum, eſſe diem Dominicam. Exemplo ſunt in illis 200. annis ſuprà cap. 2. enumeratis, Anni 1503. 1507. 1514. 1531. 1551. 1555. 1558. 1578. 1582. 1598. 1609. 1622. 1693. & paulò poſt 1703. quibus omnibus Dominica paſchalis in ipſo plenilunio inuenitur. Videtis ergo, vos Mathematici, Kalendarij huius Patroni, quòd primarius clientis veſtri autor accuſet & ſeſe, & Pontificem veſtrum, & vos omnes hęreſeos, coram toto mundo: & hoc quidem forſan non immeritò, quia errorem nec agnoſcere nec reuocare vultis, ſed potius contra conſcientiam vitioſum hoc, & ipſo eius autore teſte, hæreticum veſtrum Kalendarium defenditis, atque pro perfectiſsimo habetis. Errorem hunc anni 1598. agnouit, & etiam notauit Ioannes Anthonius Maginus

1. **Paſcha ſæpe incidit in ipſum plenilunij diem.**

Autor noui Kalendarij ſeipſum, Papam, & omnes noui Kalendarij patronos, hæreticos facit.

ginus Patauinus in ſuis Ephemeridibus, interim autem Kalendariũ non improbat, quia forte numeros eius nondum ſufficienter examinauerat: Eum tamen his lectis non diffido in meam ſententiam iturum eſſe, non quidem mei gratia, ſed quia admonitum, veritati, quam hic propugno, non dubito daturum eſſe locum. Vos aũt reliqui, quomodo exolui poſsitis, & quid pro hęretico horũ annorum calculo reſpondere velitis, conſiderate.

II. Pascha noui Kalendarij ſæpe præcedit plenilunium.

Deinde ijdem fallaces termini paſchales efficiunt, vt ſępenumero contingat, paſchatis Dominicam priorem eſſe plenilunio paſchali. Quoties enim verus terminus paſchalis per calculũ Aſtronomicum inuentus, ſequitur, falſum ex Kalendario nouo ſumptũ terminũ biduo (hoc non raro euenire poſſe, manifeſtum eſt ex ijs, quæ 2. cap. dicta ſunt) dies aũt vero & falſo illi interpoſita, fuerit dies Dominica: tum Kalendarij noui canones reponunt paſcha in eam Dominicam, quę hac conditione præoccupat plenilunium paſchale. Exemplo eſt annus 1527. in quo terminus paſchalis eſt. 26. Martij, & litera Dominicalis B, ergo paſcha cadit in 27. eiuſdẽ. Sed verum plenilunium paſchale ſequitur demũ die 28. Martij. Sic 1598. parum abeſt, quin etiã tota Dominica, qua celebrandũ erit paſcha, anticipet verum ſuum plenilunium: Luna enim hora 10. noctis ſequentis, artificiali die completa, plena efficitur. Cernitis ergo vos Mathematici etiam hic grande Kalendarij veſtri peccatum, & quidem plus, quàm hæreticũ: quia hęreticum eſt, vt autor refert, paſcha in plenilunio celebrare. Igitur peccatum hoc multo eſt atrocius, ſi ante. Hinc idem autor hoc peccatum nominat abſurdiſsimum.

III. Paſcha poteſt in vltimam lunæ quartam cadere.

Tertium errorem autor ingenuè confitetur, attamen ne Kalendario ſuo autoritas nimium derogetur: appellat eum, minus peccatum. Sed vtut, maius vel minus peccatum ſit: ipſo tamen teſte, error hic in nouo Kalendario peccatum eſt, quando videlicet paſcha octiduo diutius differtur, quàm par eſt. Hoc aũt fit, quotieſcunq; verum plenilunium paſchale præcedit terminum in Kalendario notatum vno die, vel biduo, & quidem dierum illorũ alteruter eſt dies Dominicus: tum oporteret ea Dominica paſcha eſſe: ſed in hoc caſu ipſum à nouo calculo detinetur vſq; ad ſequentem Dominicã, in qua Luna tertium illuminationis ſuæ quadrantem iam tranſijt. Cuiuſmodi paſchata erunt anno. 1629. 1693. 1700. &c. Etenim anno 1629. terminus paſchalis eſt. 8. dies Apr. & litera Dominicalis G, vnde paſcha eſt in die. 15. Apr. Sed verus terminus paſchalis ex calculo Aſtronomico erit die 7. Apr. Paſcha ergo eſſet die. 8. Aprilis, ſi verus calculus ſeruaretur. Sic anno. 1680. terminus paſchalis ex Kalendario eſt. 14. Apr. litera Dominicalis G & F, Paſcha ergo in 21. Apr. Sed quia verus ter-

rus terminus incidit in 13. Apr. reponendũ fuiſſet paſcha in 14. Apr. Ita anno 1700. Aureus numerus erit 10. epacta ix. terminus paſchalis. 4. Apr. Litera Domin: C. hinc paſcha die 11. Apr. Sed verus terminus eſt die 3. Apr. vnde paſcha eſſe deberet die 4. eiuſdem.

Præterea, ſicut autor cunctis perſuaſum eſſe vlt, quòd nouus epactarum cyclus egregiè euitet, duos ex enumeratis priores errores, quorum alter hæreticus ſit, alter abſurdiſsimus, ſeu plus, quàm hæreticus: Ita ſat ſpecioſis verbis ſuſpicionem de quarto errore à ſuo opere remouere conatur, ne is à quoquam ſuo Kalendario imputetur, nominat enim ipſum quoq; abſurdiſsimũ. Quinti nullam mentionẽ facere voluit, aut enim, quia eum à ſe omnino alieniſsimum eſſe cenſet, aut quia in eo, ſicut & in tertio, non admodum multũ prerij poſitum exiſtimet. Sed vtut ſit: quàm vana ſit hæc perſuaſio, manifeſtum eſt ex ijs, quę cap. 2. dicta ſunt: Ibi enim demonſtratũ eſt, quòd pleniluniũ paſchale multas ob cauſas poſsit deflectere à primo menſe, & aberrando delabi vel in poſtremum menſem precedentis anni, vel in menſem eiuſdẽ anni ſequentem, adeò vt non poſt multa tempora vix tot vera paſchalia plenilunia in primo menſe, quot falſa in vltimo, vel in ſecundo menſe deprehendi poſsibile ſit. Sed quoniam ab illis pleniluniis ceu terminis paſcha ſemper dependet: ſequitur quòd, quoties termini illi à vero mẽſe aberrauerint, toties etiam ipſa paſchata à menſe ſuo competẽte aberrare neceſſe habeant, niſi quòd illi pleniluniorum termini, dum in falſo menſe deprehenduntur, diſtant à conueniente ſua ſtatione tantummodo 4. ſeptimanis, ſiue 30. diebus: ſed paſchales Dominicæ à debitis ſuis & legitimis ſtationibus, non modò 4. ſed perquàm ſæpè 5. ſeptimanis remoueri poſſunt, idq; tàm in antecedentia, quàm in conſequentia. Idcirco paſchalia feſta ſæpiſsimè celebranda venient quatuor vel quinq; ſeptimanis citius aut tardius, quàm magnifica Kalendarij pollicitatione promittitur. IIII. V. In nouo Kalendario non raró contingit paſcha vel in vltimo vel in ſecundo menſe celebrari.

Cui accedit & iſtud, quòd Kalendarij noui calculus non præcauebit, ſed potiùs efficiet, vt Paſchalis Dominica non modò multoties in poſtremum prioris anni menſem reijciatur, ſed etiã vt ante ipſum ęquinoctij diem retrahatur: Poſtquam enim ęquinoctium verum digreſſum fuerit à 21. Martij, vt ſuprà dictum, ad 22. 23. 24. 25. 26. vel 27. eiuſdem, non raró futurum eſt, quando nimirum epacta erit xxiij. xxij. xxj. xx. xix. vel etiam xviij. vt inter terminum paſchalem (qui hoc modo fiet dies. 21. 22. 23. 24. 25. vel etiam 26. Martij) & inter ęquinoctiũ poſteriori aliquo die ſequens, dies aliqua Dominica interueniat. Itaq; paſcha illa Dominica celebratum, inconuenientiſsimum habebit tempus, nam cùm in vltimo menſe prioris añi, VI. Paſcha in nouo Kalendario interdum præueniet æquinoctium.

 & qui-

Vno anno poterunt duo paſchata in altero nullum celebrari.

& quidem ante æquinoctium agatur, efficit, vt in vno anno non tantùm Eccleſiaſtico, cuius initium ſumitur à nouilunio ipſi ęquinoctio proximo, ſed etiam in anno vertente, ſiue politico ſiue aſtronomico, cuius initium ab æquinoctio dependet, bis celebretur paſcha, & in anno mox ſequente nunquam omnino. Sed hoc ipſum eſt vobis, qui tanto deſiderio Kalendarium nouum affectatis, & iam nactũ mordicus retinetis, abſurdiſsimum & maximum peccatum. Quamobrem cùm vos Mathematici videatis denuo, quàm craſsiſsimæ & abſurdiſsimæ enormitates hoc veſtro Kalendario cõtineantur, cum ſufficienter vobis demonſtratum ſit, quòd Kalendarium veſtrum nullatenus ſe conuertere poſsit, quin in multiplicem errorum aceruum impingat, & idcirco ſuas ineptias, ſuiq; autoris ocioſos labores, atq; Pontificis vanam gloriationem non ſine dedecore pudefaciat: perſiſtetis ne adhuc in veſtra ſententia, quòd in Kalendario veſtro omnia ſint perfectiſsimè reformata? putatis ne iniuriam ei fieri, ſi quis dicat, quod omnes errores, quibuſcunq; vllum aliquod Kalendarium obnoxium eſſe poteſt, cateruatim hic ſint congeſti?

VII. Fortuito tantùm caſu accidit, quòd paſcha non crebrò à legitimo loco aberrat.

Et quanquam nihil erroris ſupereſſe videatur, cuius Kalendarium nouum accuſari poſsit: vnus tamen ex præcipuis adhuc ſupereſt, inſignis nimirum imbecillitas eius, quæ non prætereunda eſt, qua etiã fundamenta ea, quibus ipſum alioqui non malè habet, infirmantur. Confiteor ſanè, quòd in nouo Kalendario Paſcha ſæpenumero non aberret ab eo limite, quem Pontificij ei ex Concilio Nicęno aſſignant: pręſertim autem quod hòc noſtro ſeculo exorbitationes iſtę rariores ſint, ſicut ex calculo ducentorum annorum ſuprà enumeratorum patet: verum cùm non ſufficiat ſcire, quid fiat, ſed an rectè, legitimè, & neceſſariò quid fiat: Ideò neceſsitas poſtulat inquirere, cui hoc ipſum aſcribendum ſit, quod non creberrimis erroribus celebritas paſchæ laboret. Nam ſi errores iſti vt rariores, ita fortuiti eſſent: at legitima celebratio non eſſet fortuita, ſed neceſſaria, ex indubitato, firmo, & infallibili calculo dependens: poſſet hoc forſan aliquo modo tolerari. Hoc autem ſi paulò diligentiùs perpendatur, demonſtrat, quòd ea res nequaquam ſit artificioſæ autoris ſubtilitati aſcribenda, multò minus autoritati Pontificis, ſed vnico & ſoli fortuito caſui. Nam autoris artificium commendatur ipſo Kalendarij opere. Sed quid perfectionis inſit Kalendarij Canonibus, docent epactę, quas ſupra demonſtrauimus innumeris modis fallaces, idq; non in annis remotioribus tantùm, ſed etiam in his ipſis 200. annis, quibus iam viuimus, quibus adhuc vigere debebat principium eius, adeò vt nullius imperfectionis adhuc dum inſimulari poſſent. Verùm cum per has ipſas terminus paſchalis vltra centies falſus pro vero ob-

ro obtrudatur, patet vtiq; quàm lãguida ſit earum perfectio, & ſubtilitas: patet etiam, quòd per eas non ſtet, vt non ipſum quoq; paſcha illegitimo tempore agendum veniat: ſed quod in hoc non toties aberratur, quoties in illis, cauſa eſt hæc: quia nimirum inter terminum paſchalem falſum epactarum falſarum, & inter terminũ calculi aſtronomici verum, non ſemper aliquam diem Dominicam interuenire contingit, hoc enim modo, ſi Dominica paulò ſit remotior, fieri poteſt, vt vterq; terminus, tàm verus, quàm falſus, in vnã eandemq; ſeptimanam coincidant. Vt Anno 1587. per aureũ numerum 11. & epactam xxj. inuenitur paſchalis terminus in 23. Martij, die Lunę: litera Dominicalis enim eſt D, ſed verus terminus reperitur die Martis, ſeu 24. Martij. Cuiq; ergò cernere licet, quòd falſitas termini falſi, hoc loco occulteretur ſub vero, propterea, quòd quaſi fortuitò accidit, quantum ad Epactarum demonſtrationem, vt non alia Dominica ſequatur falſum terminum, quàm quę verum ſequitur. Quare ſoli fortunę, non ſuo artificioſo Kalendario agent Pontificij gratias, quòd paſcha eo anno, & alijs ſimilibus, ſuam expectationem non defraudat. Et quòd rectè hoc arguatur, manifeſtum fit, quando fortuna hæc volubilitate ſua hos terminos non in vnam eandemq; ſeptimanam coniungit, ſed in duas diuerſas diuellit: tum enim falſitas iſta velamine ſuo deſtituta, ſeipſam prodit. Vt, Anno 1598. Aureus numerus 3. & epacta xxiij. reponunt terminum paſchalem in 21. Martij, qui eſt dies Sabbati, nam D eſt litera Dominicalis. Sed verus terminus incidit in 22. diem Martij, in ipſum diem Solis. Cùm ergo alia dies Dominica ſequatur falſum Kalendarij terminum, & alia verum calculi terminum, fit, vt paſcha celebrandum ſit die 22. in ipſo plenilunio, quod tamen ex ſententia Kalendarij differendum fuiſſet vsq; in 29. eiuſdem menſis.

☞ Quod de annis inter 1500. & 1700. interceptis dictũ eſt, id multò magis conſpicuum cernitur in Kalendarij noui prima origine, hoc eſt, in annis Cõcilio Nicęno vicinis. Quid enim ibi præſtare poſſint, docent ea, quę ſuprà cap. 1. & 2. ſunt expoſita, vid. quòd Kalendariũ nouum & literam Dominicalem illius ſeculi ignoret, & terminũ paſchalem multipliciter falſum oſtendat. Quod cum ſit, quomodo hinc ſciemus, quibus diebus Patres Concilij Nicęni celebrauerint, vel celebrare debuerint Paſcha? Cum ergo id, quod præ reliquis ſingulariter ab hoc Kalend. expectandũ fuit, fallat autoris promiſſum, annè in reliquis ei habẽda erit fides? Sed ea de re inſpiciatur ſequens tabula. *Examen feſtiuitatis paſchalis tempore Nicæni Concilij.*

Hac tabula prima columna numerat eoſdem 19. annos temporis Nicæni Concilij, quorum termini paſchales ſuprà quæſiti ſunt. Columna 2. & 3. habent cyclũ ſolarẽ & literã Dominicalem eorum annorũ. 4. 5. & 6. habent terminũ paſchalẽ, ſeu diem plenilunij medij, &

veri; & inde proxima die Dominica ipſum paſcha, prout calculus Aſtronomicus numerari poſtulat. Quo tamen loco, in año 330. prior numerus congruit tabulis Prutenicis, quæ, quemadmodum cap. 2. monui, terminum & paſcha huius anni, in Aprilē reponit: ſed alter numerus ſecundum tabulas recentiores retrahit ea in Martium. 7. & 8. col. ſunt terminus & paſcha, ſecundū quod noui Kal. autor numeranda tradit, qui tamen præter omnē cauſam, & veritatem aſtronomicam, & prçter ſuorū ipſorum numerorum rationes fecit literam P. epactarum indicem. Ibidem hoc quoque obſeruandum, quòd anno 340. paſcha, ſi numerandum ſit à medio tantùm motu, incideret in 30. Martij. 9. & 10. col. eadem computantur ſecundum

Anni Domini	Cyclus ſolaris.	Litera dominicalis.	Inxta calculum Aſtronomicum terminus paſchalis medius	verus	paſcha verū	Iuxta indicē lite: autoris P, Et iuxta aureū nume. ātiquū, term. paſch.	Paſcha	Iuxta indicē lite: N, q̄ pro epa: autor ꝑponere debebat, term. paſch.	Paſcha	Iuxta indicē epact. literā M, q̄ noua correctio ad hos años reducta poſtulat. liter. dñc.	term paſch.	Paſcha
			me di	me di	me di	me di	me di	me di	me di		me di	me di
323	24	f	A 7	A 7	A 24	A 5	A 7	A 6	A 7	g	A 7	A 8
324	25	e d	M 26	M 27	M 29	M 25	M 29	M 26	M 29	f e	M 27	M 30
325	26	c	A 14	A 15	A 18	A 13	A 18	A 14	A 18	d	A 15	A 19
326	27	b	A 4	A 4	A 10	A 2	A 3	A 3	A 10	c	A 4	A 11
327	28	a	M 24	M 24	M 26	M 22	M 26	M 23	M 26	b a	M 24	M 27
328	1	g f	A 11	A 11	A 14	A 10	A 14	A 11	A 14	g	A 12	A 15
329	2	e	M 31	M 31	A 6	M 30	A 6	M 31	A 6	f	A 1	A 7
330	3	d	A 19 M 21	A 19 M 21	A 26 M 22	A 18	A 19	A 18	A 19	e	M 21	M 23
331	4	c	A 8	A 9	A 11	A 7	A 11	A 8	A 11	d	A 9	A 12
332	5	b a	M 28	M 28	A 2	M 27	A 2	M 28	A 2	c b	M 29	A 3
333	6	g	A 16	A 16	A 22	A 15	A 22	A 16	A 22	a	A 17	A 23
334	7	f	A 5	A 5	A 7	A 4	A 7	A 5	A 7	g	A 6	A 8
335	8	e	M 25	M 26	M 30	M 24	M 30	M 25	M 30	f	M 26	M 31
336	9	d c	A 12	A 12	A 18	A 12	A 18	A 13	A 18	e d	A 14	A 19
337	10	b	A 2	A 2	A 3	A 1	A 3	A 2	A 3	c	A 3	A 4
338	11	a	M 22	M 22	M 26	M 21	M 26	M 22	M 26	b	M 23	M 27
339	12	g	A 10	A 10	A 15	A 9	A 15	A 10	A 15	a	A 11	A 16
340	13	f e	M 29	M 30	A 6	M 29	M 30	M 30	A 6	g f	M 31	A 7
341	14	d	A 17	A 18	A 19	A 17	A 19	A 18	A 19	e	A 19	A 20

literam

literam epactarum indicem N. quę autoris numeris melius congruit. 11. 12. & 13. col. ſunt litera Dominicalis, terminus & paſcha ſecundum correctionem nouam ad annos illos retrò reductam eo modo, quo in futurum continuanda eſt, de qua re ſuprà cap. 1. & 2. dictũ eſt.

Hac tabula iterum videre licet, quid numeris autoris fidendum ſit. Nam iuxta autoris literam P, indicem epactarum (quo loco ſecutus ſum numeros autoris, nihil quicquam in eis permutans) Paſcha anno 323. 330. 340. incidit in plenilunium, & idcirco ſeipſum, vel Concilij Nicęni Patres arguit hęreſeos quartadecimanæ. Anno autem 326. Paſcha plenilunium præcedit, quod omnium eſt abſurdiſsimum. Quid de anni 330. menſe ſecundo ſit ſentiendum, colligi poteſt ex ijs, quæ hactenus dicta ſunt. Quòd autem his 19. annis Paſcha non ſæpius falſo loco deprehenditur, fortuito tantùm caſu euenit, ſiquidem vt ſuprà cap. 2. monui, & coràm ſpectare licet, epactæ decies octies falſum pro vero termino Paſchali exhibent. Litera index N, aliqua quidem emendat, ſed in fundamentis haud multò melior eſt, quàm index P litera. Porro M litera index, quæ calculi noui reformationem ſequitur, nimis abſurdum calculum obijcit, vtpote qui diem dominicum in diem lunæ ablegat.

Quamobrem nemini amplius dubium eſſe poteſt, quin intelligat, Kalendario nouo nihil certitudinis ineſſe, quandoquidem ad oculum demonſtratum eſt, quòd illa etiam, de quibus non ambigendum fuiſſe putatur, ſint lubrica, infirma, & incertiſsima, ſiquidem omnis eorum certitudo nulli artificioſo certoq; calculo, cui tutò fidere liceat, vtut reliqua ceciderint, nititur, ſed tantùm ab inſtabilis & ancipitis fortunæ regimine dependet.

Vos ergo, qui adhuc in ſententia veſtra permanendum cenſetis, ſuffulcite hoc veſtrum ruinoſum Kalendarium: videtis enim omnia eius & ſingula fundamenta, nullo excepto, conquaſſata & labefactata eſſe: Et ſi quæ eorum adhuc ſpeciem firmitatis præ ſe ferunt, videtis tamen, quòd non plura de eis vobis promittere poſſitis, quàm imperitus ſagittarius, qui vbi aliquando ſcopum attigerit, non induſtriam ſuam gloriabundus iactat, ſed potius de fortunæ fauore & aſsiſtentia ſibi gratulatur. Verùm ſi vos clientem veſtrum deſerueritis, corruet omnino, & magna erit ruina eius, carioſa ſunt iam ſtatim ab origine prima, & à vermibus arroſa omnia eius fulcra. Nolite ergo eſſe ſegnes, arripite baculos vel radios aſtronomicos, quibus cadentem erigatis, ſubſternite Aſtrolabia, vt in fundo firmiora poſsint eſſe omnia: En vobis tabulas Aſtronomicas, quarum numeris rupturas eius expleatis. Age, quos ſucceſſus habebunt veſtri conatus?

CONCLVSIO.

*Omnia ergò & ſingula hactenus enumerata ſuperabundè demonſtrant, quòd nouum hoc Gregorianum Kalendarium nequaquam poßit correctum, perfectum, abſolutum, multò minus perpetuum appellari, quandoquidem nihil quicquam ſupereſt in vllo Kalendario reprehendendum, quod non in iſto Kalendario multipliciter inueniatur, non aliter, quàm ſi autor ad hoc iuratus fuerit, quòd quoſcunque Kalendariorum errores condenſatos in hoc detrudere velit. Quare ſi quis condigno Epitheto Kalendarium hoc Gregorianum ornare
» cupiat, rectiſsimè illud* COLLVVIEM OMNIVM ERRORVM *dicet. In eo enim, tanquam in ſentinam, vniuerſi errores turmatim confluunt. Nam Pontificis autoritas hîc nihil quicquam valet, nec hîc autoris verba in pondere aliquo ſunt. Pergant ſanè ipſi, vt volunt, gloriari, quòd ſtabiliuerint æquinoctium vernum verum in 21. Martij: meridiana tamen luce clariùs eſt, quòd ne minimo digito hoc attigerint: Niſi forſan in ipſorum Kalendario dies 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. omnes, tantùm pro vnico 21. die Martij, habeantur. Perſuadeant ſanè, ſi poſſunt, in poſterum etiam ſibi & alijs, quòd Epactæ ſuæ ſubtilitate exquiſitiſsima, & perfectione pleniſsima conſtent, quæ omnibus ſeculis in perpetuum, ſine omni perturbatione ſint duraturæ: præſenti tamen hoc examine elucet, quòd ipſæ nihil perfectionis, nihilq; certitudinis, tàm in nouilunijs menſtruis, quàm in anniuerſarijs plenilunijs Paſchalibus demonſtrandis cõtineant, alioqui non vt plurimùm falſiſsimæ deprehenderentur: Niſi forſan Pontifex pro autoritate, qua ſibi imperium non in homines tantùm, ſed etiã in cacodæmones infernales & in Angelos cœleſtes præſumit, poßit etiam Soli & Lunæ mandare, ne in cœlo aliter, quàm Epactæ iſtæ in Kalendario ſuo poſtulant, moueantur. Prædicent ſanè, ſi placet, etiã poſthâc huiuſmodi tàm magnificis cõmendationibus, quòd Paſchales Dominicæ loca ſua diligentiſsimè cuſtodiant: Hoc tamen ſcripto ſatis luculenter demonſtratũ eſt, quòd iſtud falſiſsimũ ſit, ſiquidẽ in eo craſsiſsimi errores partim manifeſtiſsimè multoties cõpareant, partim autem non niſi fortuito caſu euitantur: Niſi forſan ſolummodò ij limites ſint veri, regulares & perfecti, quos nouũ Kalendarium ponit, vtut Sol & Luna in cœlo incedant, adeò vt Solem & Lunam à via ſua aberrare poſſe, rationes aũt Kalendarij ſui labi nunquã poſſe credendũ ſit.*

Dubium eſt apud me, an Pontifex Gregorius XIII. hos tantos tamq; multiplices & craſſos, &, ſi ex ſententia eius loqui liceat, hos tàm fœdos atq; pudendos errores, intellexerit. Sed vtut ſit, ſi eos ignorauit: quis poterit eſſe

tàm amens, vt hac Papæ inſcitia, in re tàm ſeria, totum orbem Chriſtianum ad aliquam mendoſam & falſam ceremoniam obligandum putet? An non quilibet non noſtra tantùm partis, ſed etiam ex ſanioribus Pontificijs, conſulet, vt propter demonſtratam abſurditatem decretum hoc Kalendarij reſcindatur, &, vt Iuriſperiti loquuntur, vt à Pontifice malè informato appelletur ad Pontificem meliùs informandum? Quòd ſi præter Papam, etiam Kalendarij autor hos tetros lapſus non animaduertit, excæcatus forſitan amore proprij fœtus: an non propter ſtoliditatem illam pœna potiùs, quàm laude dignus dicetur? Sin verò eorum vterque huius incertitudinis fuit conſcius, facilis eſt coniectura, quòd ſub Kalendarij prætextu longè aliud vterq; quæſiuerint. Verùm hanc ſententiam priori veriſimiliorem inde conijcio, quod Papa Gregorius XIII. vir eximiè doctus, & Iuris Doctor fuiſſe dicitur, vnde credibile eſt, ipſum hos Kalendarij numeros & intelligere, & propria manu tractare, atq; inde tàm occultos errores, quàm apertos cernere potuiſſe. Autorem verò, qui in tabulis æquationum Epactarum & cycli Solaris multa ſanè ſubtilitate vti ſciuit, enormitates illas annexas non vidiſſe, vix mihi quiſquam perſuadebit. Quid autem hoc prætextu quæſiuerint, in promptu eſt: Autor ſcilicet inanem vulgi, & imperitorum calculationis Aſtronomicæ gloriam: Pontifex verò occultam & ſubdolam inſinuationem ſuorum decretorum in Eccleſias noſtras reformatas, & vt ſimul exploret, qui Pontificiæ Religioni faueant, quiuè ex parte eius ſtare recuſent. Verùm licet iam quidem de hac re plura ſcribere mihi propoſitum non ſit, propterea quòd de ea alij magni viri eruditè & prudenter in ſuis ſcriptis loquantur, ego quoq; nonnihil de ea ipſa in ſæpius citata mea Dialexi egerim: tamen quia hoc ſcripto conſtitui iſtud Kalendarium examini aſtronomico ſubijcere: idcirco propter hanc ipſam cauſam ad confirmationem eorum, hæc ſequentia intermittere non potui.

Vix veriſimile eſt, quòd autor noui Kalendarij, & Papa, non intellexerint craſſas enumeratos errores huius Kalendarij.

Primariam publicationis noui kalendarij cauſam longè fuiſſe aliam, quàm vſualis anni correctionem, aut artificioſi inuenti publicam communicationem, tribus argumentis euincitur.

Quod aliud quidpiam ſub hoc Kalendario ſit quæſitum, probatur.

I. Quòd Papa hoc ſuum nouum kalendarium abſq; vlla emendationis ſuſceptæ ratione & demonſtratione in lucem emiſit. In Canonibus quidem kalendarij promittitur alius quidam liber, cui titulus ſit futurus: Liber nouæ rationis reſtituendi kalendarij Romani, quo rationes, fundamenta, & hypotheſes in hac correctione aſſumptæ, in medium ſint afferendæ: Et hæc promiſſio decies repetitur, bis canone primo, ſexies canone ſecundo, & bis canone quarto. Hunc librum decuiſſet vtique ante kalendarium, vel ſimul cum eo publicari, vt eâdem operâ & calculus & fundamenta innoteſcerent, & totus

I. Puduit autorem nouæ ſuæ correctionis rationes reddere, quia ſciuit falſas eſſe.

orbis

orbis rationibus potius, quàm Pontificis ſub anathemate mandato permotus, conſentiret facilius. Verùm enimuerò Liber iſte adhuc in latebris latitat abſconditus, & toto hoc tempore lucem fugiens, exire in publicum aut metuit, aut nō dignatur. At quid hoc aliud eſt, quàm truculentū ludibrium cum ſarcaſmo coniunctum? Interea autem an non hoc ipſum arguit, quòd Pontifex & kalendarij autor, cauſæ ſuæ diffidant, metuentes, ſi ex libri illius examine kalendarij rationes falſæ deprehenderentur, ſe cum opere ſuo eius gratia non in magna autoritate habitos iri, ſeq́; ſpe ſua caſuros eſſe. Quòd ſi autem librum illum diutiùs occultauerint (ſicut omninò veriſimile eſt, eum perpetuò occultatum iri) futurum eſſe, ſicut proh dolor factum eſt, vt Pontificia autoritate, (tanquam quæ omni exceptione ſit maior) & præclaro abſolutiſſimæ correctionis titulo multò plus efficiatur, quàm, ſi rationes ipſæ in medium proponerentur, ſperari poſſit: illa enim obuijs vlnis à ſuis accipi conſueuit, hæ verò incertitudinem & falſitatem operis ſtatim ab initio proderent: & licet, poſtquam Kalendarium hoc fuerit inueteratum, errores eius pateſiant (quanquam haud dubio ſibi perſuadent, quòd nemo operis huius ſubtilitatem ex fundamento examinare poſſit, niſi ex libro illo informationem habeat) eos tamen tum nō amplius litem moturos, interim verò ſe voti ſui cōpotes fore, &c. Sed quæ veſtra, vos Mathematici, eſt ſententia? Si qui veſtrum exiſtiment, me huic dilationi publicationis libri illius eſſe nimis iniquum, dum videlicet eam doloſæ malitiæ, librum autem paris cum Kalendario incertitudinis ſuſpecta habeam: addo, ſi diſpliceat vobis, quòd ego vos quoq; temeritatis, ne dicam inſcitiæ, ſuſpectos habeo, propterea, quia vos ipſi Kalendarium hoc non priùs pro neceſſitate examinaueritis, aut ſi ad hoc præſtandum ſolidiore Mathematum cognitione deſtituti fuiſtis, quia librum illum priùs vobis communicari non poſtulaſtis, quàm tanta auiditate in ſententiam Pontificis deſcenderetis, alijsq́; idem faciendi autores, & ſuaſores eſſetis: age, reddite vos aliam rationem, vosq́; à ſuſpicione purgate.

II. Hoc ipſum confirmat publicationis annus, ſeu, vt in Kalendario nominatur, Annus correctionis, Annus 1582. Notum eſt in toto orbe, quòd hæc correctio iam ſatis diu apud Pontificios fuerit tractata, & ad finem perducta. Nam tranſmiſſio illa nouæ rationis reſtituendi Kalendarij exiguo volumine comprehenſæ (de qua Pontifex in Bulla loquitur) ad Chriſtianos Principes, & celebriores vniuerſitates (Pontificias ſcilicet, ſicut in mea Dialexi cap. 9. circa finem indicatur) facta eſt anno 1578. Nihilominus editio differtur in octobrem Anni 1582. Quæſo, quæ eſt huius rei cauſa? Quare hoc opus perpetuum, cuius perfectio vſque ad 40. mille annos, non

eſt in

eſt in dubium vocanda, nō potuit habere initium ſuum in aliquo anno ad perpetuam rei memoriam conuenienti, qualis eſt aliquis annus cētenarius, cuiuſmodi poſt 18. annos, ab anno 1582. ſequetur, ſcilicet annus 1600. vel aliquis denarius & biſſextilis, qualis erat annus 1580? Vnde huic 1582. tanta autoritas, qui nec cētenarius, nec denarius, nec biſſextilis eſt, vt ipſe in perpetuum appellari debeat ANNVS CORRECTIONIS? Item ſi omnino hic annus eligendus erat, cur correctionis initium in Octobrem reiectum eſt? Cur non in Februarium? Sicut mox eodem 1582. anno, die 7. Nouemb. Papa alio mandato præcepit, vt quicunq; in toto terrarum orbe Kalendarium nouum in Octobri anni 1582. obſeruare non cœperint, confeſtim id anno 1583. in Februario ſeruare incipiant, ſemotis cunctis excuſationibus & impedimentis: quanquam priùs indulſerat regionibus remotioribus, vt correctionē differre liceret in Octobrem anni 1583. vel 1584. vel etiam 1585. Quòd ſi eádem prouidentiâ maturaſſet publicationem menſe Februario anni 1582. tum eodem ſtatim 1582. anno celebratum fuiſſet paſcha ſecundum nouam ſuam correctionem. Cauſam neſcio quidem, ſed ſi coniecturare licet, non exiſtimo, quòd diuinando à vero aberrare velim. Annus 1600. Pontifici expectādus non fuit, quia metuit, ſe tàm diu (quod & factum eſt) non eſſe victurū: deinde in tam longa mora periculum erat, ne interea nullitas huius Kalendarij patefieret, & pro dignitate coram toto mundo deridenda proſtitueretur, nec etiam hoc modo Pontifex voti ſui fieret cōpos. Sic propter eaſdem cauſas negocium non fuit differendum in alium annum biſſextilem: quales ſunt annus 1584. vel 1588. quanquam hic poſterior à multis ſingulariter fatalis habeatur, & inde admodū ſit famoſus. At correctionis huius initium non potuit ante Paſcha anni 1582. fieri. Nam ſi hoc factum eſſet, periclitatum fuiſſet totū opus Kalendarij huius, periclitata fuiſſet magna pars autoritatis Pontificis, ſuorumq; Kalendarificum: periclitati fuiſſent omnes ſumptus huius gratiâ corraſi & erogati, & quod maximum eſt, Pontifex rurſus ſua ſpe deluſus fuiſſet. Nam eo ipſo anno deprehenſa fuiſſet inanis futilitas calculi huius Gregoriani Kalendarij. Cū enim aureus numerus, qui eo anno erat 6. habuerit epactam 26. & repoſuerit terminum paſchalem in diem 17. Aprilis, qui erat dies Sabbati: vtiq; conueniebat ſecundum numeros & regulas noui Kalendarij, ſequentem diem 18. eſſe Dominicam Paſchatis. Sed in eadem ipſa Dominica, erat demum Lunæ & Solis vera oppoſitio, ſecundum calculum Aſtronomicum: itaq; eo ipſo anno 1582. celebrandū fuiſſet paſcha in plenilunio. Hæc res haud dubiò valdè fuiſſet ominoſa nouo Kalendario, nam ipſa non potuiſſet quenquam hominum latêre, propterea quòd in omnibus & ſingulis diarijs ſeu Kalendarijs anniuerſarijs, plenilunium hoc inuentū fuiſſet in die paſchali.

Et

Et hoc quidem eo magis fuiſſet conſpicuũ, tàm illiteratis, quàm literatis (quorũ nullus propemodum eſt, qui huiuſmodi aliquod annale diarium non ſecum ſemper portet, aut certè domi parieti affixum habeat) quod eo anno veteris kalendarij Paſcha conuenientem ſuum locũ, videlicet diem 25. noui, aut diem 15. veteris kalendarij obtinuit. Quis iam dubitabit, quin Pontifex metuerit, ſe ſuumq; hoc opus cum ſibilo exploſum iri, propterea, quòd ipſe Paſchale feſtum ex loco vero abſtraheret, & in locum erroneum, ſeu, vt author nominat, hæreticum abijceret? Nunc autem poſtquam callidè, ne dicam doloſè, hoc periculum eſt euitatum, ſperat & ipſe & kalendarij author, ſe iam tutiſſimos eſſe, nõ enim quemquam tantam prudentiæ habiturum confidunt, qui calculum in peracta tempora retrahat. Et licet aliquis hoc tentet, calculum eũ tamen non tantum ponderis amplius habiturum, quantum ei fuiſſet, ſi in re præſenti manifeſtiſſima falſitas monſtrata eſſet. Quòd ſi autem craſſiſſimus hic error, qui ex ſentẽtia authoris hæreticus eſt, quo kalendarium hoc veſtrum nouum ſtatim in ipſo principio inaugurationis laborauit, nõ ſit vera cauſa dilationis dictæ: indicato vos Mathematici aliam; & ſimul defendite hunc ipſum huius anni errorem. Sed neutrum vobis factu poſſibile eſſe ſcio.

3. Autor noui Kalendarij fuit errorum ſuorum numerorum in tempore Concilij Nicæni optimè conſcius: idcirco, calculum ſuum nunquam eo extendit.

3. Non minus certa, ſed potius indubitata coniectura, quòd ſc. author kalendarij noui ſimili dolo ludat, deſumitur ex omnibus & ſingulis eius canonib. Quanquam propter & ſecundũ Nicæni Concilij decretũ, ſtatuatur kalendarium nouum reformandũ fuiſſe, & iam operâ autoris reformatũ eſſe, ad ſimilitudinẽ ſtatus eius ſeculi: Autor tamen calculo ſuo ab hoc Nicæno Concilio, non aliter tanquam à præſentiſſimo veneno abhorret. Eodem modo à tradendis rationibus componendarum Tabularum, quas ſuſpectas eſſe nouit, ſtudioſè deflectit, ſubterfugia quæcunq; prætexens. Canone enim primo multis ſanè verbis docet aureum numerum cycli decemnouennalis, ad ſingulos annos computare, ibiq; rationem constructa tabulæ, ad 40000. annos extenſa, pro eius inuentione reddit ſolicitè. Exemplis quoq; eam illuſtrat: Eorum autem non niſi vnicũ pro tempore annorum præteritorum apponit, videlicet anni 700. De annis verò Concilij Nicæni nihil quicquam admonet. Canone 2. de Epactis, Nouilunijs, & ex parte de plenilunio Paſchali agit: Sed rationem conſtructionis cycli epactarum perpetui, & tabula æquationis eiuſdem cycli, nec non expanſarũ tabularum temporariarum, quarum 30. fieri poſſunt, differt in librum illum nouæ reſtituendi kalendarij Romani rationis, cauſam dilationis prætẽdit: quòd paucis explicari non poſſint: Cùm tamen haud dubiò non pluribus verbis opus fuiſſet, in explicanda compoſitione, quàm enarrando vſu tabularum iſtarum. Canone 3. Cycli ſolaris numeros inueſtigat, tabulam ad eam rem conficiens, & ad

40000.

40000. annos itidem extendens. Verũ dum negocium exemplis aliquot illuſtraret, anteactorum annorum quidem citat annum 1000. ſed ſeculum Nicæni Cõcilij procul reliquit. Canone 4. pro litera Dominicali indaganda, & pro cyclo ſolari in futuro tẽpore interrũpendo, ſatis verboſus eſt autor, ibiq́ duas æquationum tabulas, numeris diſcrepantes, ſed in fundamentis congruentes, proponit: Annorum autem præterlapſorum ne vnicum exemplum addere dignatus eſt, Nicæni Concilij verò annos attingere pro grandi piaculo habuit. Canone 5. de Indictione agit, in qua quanquam nihil prorſus alienum ſit in nouo calculo à veteri, ab exemplis tamen annorum præteritorum abſtinet. Eodem modo Canone 6. qui vltimus eſt, Autor Feſtorum mobilium rationem & ſeriem continuat, atq́ tabulas Paſchales nouã & veterem reformatas (per ſeipſas magis quàm per autoris plura verba dilucidas) explicat. At Concilium Nicænũ, licet in principio Decreti eius honorificã mentionem faciat, velut malũ vlcus calculo ſuo tangere vehementer horret. Eodem modo Epactarum per totum kalendarium continuatarum, rationes nullo verbo docet, multo minus autem reddit, æquationum in Epactis XXV. & 25. item in Epacto 19. die vltima Decẽbris ſeruatarum: cauſas demonſtrat. Ob quas cauſas, ſimulq́ quòd Epactæ iſtæ in Nouilunijs demonſtrandis, vt plurimũ falſæ inueniuntur, nec etiam multũ precij in ſe ſitum habent: non volui eas huic ſcripto interſerere.

Quæ omnia quid quæſo aliud in receſſu habere poſſunt, quàm quòd noui kalendarij autor fallaciarũ, & nimiarum (ne dicam turpiſſimarum) exorbitationũ, quæ in Concilij Nicæni annis deprehenduntur, optimè fuerit conſcius? Cur quæſo ipſe calculum ſuum non ſæpius quàm bis ad annos præteritos reduxit? cur potius ad annum 700. & annum 1000. quàm ad annum 300. vel 326? Quamobrem certo certius eſt, Autorem dolosè & fraudulenter voluiſſe totum Chriſtianorum orbem circumuenire, eiq́ fœdis erroribus refertiſſimum opus pro perfectiſſimo ſubintrudere, ea ſpe fretus, quòd niſi falſitates eius ipſemet autor prodat, nemo eas in perpetuum ſubolfacere poſſit.

Quare dubiũ nõ eſt, quin oẽs, niſi quis talpâ cæcior ſit, cernant, quòd nouũ hoc Gregorianũ kalendariũ, nequaquã ſtudio, aut amore correctionis annualiũ numerationũ, aut reſtitutionis Dominicæ Paſchalis, ſed mera quadã libidine, hoc prætextu aliquid aliud, quicquid id ſit (ſed procul dubiò id quod dixi) quærẽdi, publicatũ ſit. Publicatio .n. nimis ſenerè vrgetur, cũ tamẽ in tota correctione iſta nihil ſit, quod non nimis enormiter deprehendatur falſum eſſe.

Sed miſſum iam nunc facio Pontificem Romanũ, miſſosq́ facio eius kalendarifices, noui huius kalendarij autores, quorum ingenia fortè non ſunt ignota: Ad vos alios Mathematicos accedo, qui ad correctionem iſtam, veſtram operam non quidem contuliſtis, ſed tamen poſtea veſtro ſuffragio eam, tanquam

 omni-

omnibus numeris abſolutiſsimam approbaſtis, recepiſtis, & veſtro conſilio alijs ad recipiendũ autores & conſultores fuiſtis (contra reliquos, vt ſuprà proteſtatus ſum, mihi ſermo nõ eſt, certus enim ſum, eos in omnibus & ſingulis capitib. hîc enumeratis mihi aſtipulari.) Quæ obſecro veſtra fuit, & multorũ ex vobis adhuc eſt temeritas, vt quaſi vno & quidem cæco impetu, propter nudã & ſolam Pontificiam authoritatem, tanquam a Pontifice Romano falli poſſe impoſſibile ſit, in hanc ſententiam prorueretis, priuſquam in re Mathematica, vel ab authore vllam informationẽ, ne dicam , pleniores demſtrationes, ex ipſis fundamentis deductas, cognoſceretis, vel vos ipſi ſufficienti diligẽtia in eam inquireretis, ne decepti, alios etiam deciperetis? An neſcitis, vt ſuprà dixi, quòd in Mathematicis nulla ſit authoritatis dignitas, vbicunque rationibus poteſt eſſe locus.? Vel eſtis ne demonſtrationum Mathematicarum & calculi obliti? vt ſatius eſſe duxeritis, Kalẽdarium hoc nouum, licet non examinatũ, voto veſtro approbare, quàm veſtram inſcitiam confiteri. Quòd ſi quiſquam exiſtimauerit, me hoc ſcripto vel ipſi Kalendario, vel ipſius patronis nimis eſſe durum: is ſe purget coram toto mundo, ſicut videt ſe à me coram vniuerſo orbe Chriſtianò in cauſa publica proclamari, & refutet, (ſi poſsibile ſit) meas rationes nouo Kalendario oppoſitas, quibus ipſum multiplicis falſitatis coargui, ſi modò ille me conuiciſſe negare volet. Hîc Rhodus, hîc ſaltus.

Collatio veteris & noui Kalendarij, vtrum ſit melius,

Quæ recenſui, eis hoc etiam adijcere non vereor. Poſtquam demonſtratũ eſt, quod nouum hoc Gregorianum Kalendariũ complectatur ſimul cunctos errores, quibuſcunq; vllum aliquod Kalendariũ poteſt eſſe obnoxium: Quæſtione nõ indignum iudico: Vtrum Kalendarium melius ſit, vetúsne Iulianum, an nouũ Gregorianum? Dubij huius ratio hæc eſt: Ego quidem, & vnâ mecum omnes ſani Mathematici, non inficiamur, quòd vetus Iulianũ Kalendarium cum primæua ſua origine nõ conueniat (ſicut cap. 4. meæ Dial. ſatis explicaui, & forſan lapſus eos expoſui plenius, quàm ex Pontificijs quidam facere conſueuerũt, qui vt extollant nouum Gregorianum opus, vetus Kalendarium miris modis exagitant) nam æquinoctia & lunationes anticiparunt antiquas ſtationes, & Paſcha non ſemper in primo menſe, ſed interdum etiam in ſecundo, & aliquãdo in vltima quarta celebratur. At econtrà, hoc veſtrum nouum Gregorianum Kalendarium, quod vobis tàm perfectum putatur, vt obſeruatione eius conſcientiæ totius orbis Chriſtiani non immeritò ligari poſsint: in omnibus, quibuſcunque vllum aliquod Kalendarium delinquere poteſt, delinquit, vel ſi ex authoris eius mente loqui velim, abſurdiſsimè peccat. Quæro autem vtri errores tollerabiliores ſint? Quin imò quæro, anne veteris Kalendarij differentia, qua à ſtatu Concilij Nicani diſtat, error dici poſsit?

Nam

Nam non tam ad nudum decretum, quàm ad cauſam & occaſionem eius reſpiciendum eſt. Ibi ergò cùm ingens diſsidium componendum fuerit, ſicut in Dialexi mea cap. 7. reſponſ. 2. ad obiect. tertiam, habetur, quid preiudicari potuit noſtro ſeculo, quo antequam nouum Kalendarium diſſeminari cœpit, nihil tale auditum eſt?. Praeterea quid iſta ſubtilitate opus eſt, cùm nemo, ne Pontificiorum quidem, die Paſchali in peractione cultus ſacri ad Lunam reſpiciat? corda ad Deum eleuanda ſunt, non oculi ad Lunam: cogitationes ad verbum Dei dirigenda ſunt, non ad numeros Aſtronomicarum tabularum: nam meditatio paſsionis & reſurrectionis Chriſti, & attentio verbi diuini auditi, cultus eſt ad ſalutem animarum neceſſarius, non autem ſcrupuloſa illa & ſuperſtitioſa computatio Aſtronomica motus Solis & ætatis Lunæ, hæc enim ad ſcholam Mathematicam potius pertinent. Adhac noui Teſtamenti Eccleſia non alligata eſt obſeruationibus menſis primi vel ſecundi à Luna inchoandi, cùm etiam annus noſter non mobilis, ſicut Iudæorum annus erat, ſed totus ſit immobilis. Deſinente ergò cauſa, cur non etiam effectus deſineret? Ergò quotcunque æquinoctium peruenit, ibidem abſque peccato hæret: quæcunque ſint lunationes, nihil illæ faciunt ad deuotionem animorum, nullo opus eſt lumine Lunæ ad cantiones & conciones & alias ceremonias, eæ enim in Eccleſia nihilominus ritè & piè peragi poſſunt, etſi nec Solis lumen, nec Lunæ noua, plena vel dimidiata corpus, præſertim tempore nubilo conſpiciatur. Cùm econtra nouum Kalendarium nullius diuini præcepti autoritate, nulla humana pietate (niſi forſan ſuperſtitioſa deuotione) nulla neceſsitate poſtulante, velit conſcientias pias ad motus cœleſtes, ad calculum tabularum Aſtronomicarum, & ad certos temporum articulos deuincire. Et quanquam veteris Kalendarij Paſcha nonnunquam in ſecundum menſem incidat, feſtiuitate tamen illa neminem piorum immundum effici ſcimus, quia nihil ad nos Moſaica Num. 9. ſanctio, quippe qui à legis illa obſeruatione liberati ſumus, & mundis omnia munda fiunt. Sed de his plura in mea Dialexi. At contrà: noui Kalendarij calculus tàm in hoc quàm omnibus & ſingulis alijs locis deficit.

Vos Mathematicos ergò, noui Kalendarij patronos oro & obſecro, vt quæ hîc ſcripſi, vobisque propoſui, diligenter perpendatis, non enim de lana caprina agitur, ſed cauſa hæc multò grauior eſt. Ipſa turbat politias, turbat quoque Chriſti Eccleſiam. Et licet nonnulli ſe has perturbationes amoliri poſſe putent, hoc tamen factu impoſsibile eſt, quia hæc eadem cauſa turbat quoque mathemata, hoc eſt, ipſa in fundamentis falſa eſt. Conſiderate quid boni acceperitis ab ijs Mathematicis, quos Pontifex veſter in Bulla dicit, fuiſſe harum rerum peritiſsimos, & longè antè ex primarijs Chriſtiani orbis nationibus delectos:

" *En qui nouo Kalendario aliquo delectabamini, iam habetis nouũ, ſed tale, quo*
" *veteris quædam leues mendæ tolluntur, at ſubſtituuntur aliæ innumeræ gra-*
" *uiſsimæ, adeò vt pro paululum vitioſo, ſit vitioſiſsimum. Cur ergò quidam veſtrum ipſum prædicant, quòd ſuis rationibus Mathematicis conſtet? At quæro, quantum earum ipſi inſit? putatiſne quòd ex ipſo tantum rationum Mathematicarum poſsit opera periti alicuius Chimici extrahi, quantum argenti ex ſolea equina? Quæ cùm ſint, facilè etiam animaduertetis, quàm friuola ſit allegatio dicti Paulini 2. Cor. 6. ex Iſaia 49. In tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis ſuccurri tibi, ecce nunc tempus acceptum, ecce nunc dies ſalutis. Quaſi verò loco citato D. Apoſtolus de Paſchate noui Teſtamenti, & quidem in ſpecie de reformati Kalendarij Gregoriani vitioſiſsimi Paſchate verba faceret: quaſi verò Deus his ſuperſtitioſis præter verbum ſuum obſeruationibus temporum, cum confuſione omnium rerum coniunctis delectaretur. Cogitate quæſo, quàm longè lateq́; vitioſum hoc Kalendarium diſperſum ſit, quantas turbas mouerit, idq́; tantùm veſtra culpa, veſtriſq́; temerarijs approbationibus, vos, vos, inquam, horum malorum eſtis cauſa. Nam Magnates, qui ad gubernacula ſedent, tantum ocij non habent, vt ipſimet calculum Aſtronomicum tractãdo, huiuſmodi res pro neceſsitate examinare poſsint, idcirco ſicut in alijs negocijs alios, ita in hiſce vos à conſilijs habent, et quidem iuratos, vt tutò vobis credere auſint. Quòd ſi ergò officio veſtro ſatisfeciſſetis, nec veſtris ſuffragijs tàm cupidè, cæca potius libidine rapti, nouũ hoc Kalendariũ nimia commendatione extuliſſetis, atq; vetus noſtrum nimia vituperatione prægrauaſſetis, ſed potius vtriuſq; veritatẽ & falſitatẽ, commoditatẽ & incommoditatẽ mõſtraſſetis & enumeraſſetis, vt contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcerent: Profectò multi Magnates in recipiendo Kalendario hoc, tam faciles nũquam fuiſſent. Quis .n. ſciens & volens huiuſmodi opus imperfectum approbaſſet? Sed poſtquam ipſi iam ex aliorum certis relationibus aliter fuerint edocti & informati, quomodo vos veſtræ vel affectatæ inſcitiæ, vel ſtultæ temeritatis reddetis eis rationem? Porrò quandoquidem vos veſtra temeritate, mera potius libidine, quàm veritatis amore, non peperciſtis orbi Chriſtiano, ſed multarum funeſtarum turbarum authores fuiſtis: Idcirco vniuerſos Magnates, qui à ſuis Mathematicis aliter, quàm ego hoc libro demonſtraui, perſuaſi fuerunt, ſupplex & ſubmiſsè rogo, oro & obſecro, vt à vobis ſuis Mathematicis pleniores rationes dati conſilij de recipiendo hoc nouo Kalendario expoſcere dignentur. Vitia Kalendarij noui, quæ enormia & plurima ſunt, excuſare non poteſtis, eadem à vobis non animaduerſa negare vobis non expedit, confiteri non honorificum eſt.*

Inepta allegatio dicti Paulini ad nouum Kalendarium.

NB.

Omittere hoc loco nequeo, quin de aliquorum ſcriptis publicè editis quædã moneam.

moneam. Prodijt haud ita pridem ſcriptum quoddam germanica lingua Moguntiæ impreſſum, incerto Autore, niſi forſan nomen eius tribus iſtis literis C. F.D. in fine ſcripti appoſitis, exprimatur. Qui Autor, dum demonſtrare conatur, quòd vetus kalendarium Romanum neceßitate ſic poſtulante fuerit hoc noſtro ſeculo reuiſum & correctum ad eam formam, quam tempore Nicæni Concilij habuerit, &c. egregiè ſibi ſapere videtur. Hoc ipſo autem pudendam inſcitiam ſuam multis modis prodit. Primò enim nec rationes noui kalendarij, nec quid in eo reformatum ſit, intelligit. Hoc ex eo liquet, quod ipſe multa de anticipatione 10. dierum, quos poſtea nouum kalendarium exterminauit, diſputat, quorũ pleraq; & Pontifex ipſe & kalendarij autor ocioſa eſſe dicerent, quandoquidem ipſimet eorũ ne vllo verbulo in reformatione ſua meminerunt, qualia ſunt de die ſolſtitij æſtiui & brumalis, de æquinoctij autumnalis die, & alijs quibuſdã, nam kalendarij ordinatio principaliter non eò, ſed tantùm propter feſtum Paſchale, ad æquinoctium vernum reſpicit. Interim verò autor ille de lunationum anticipatione in aureo numero nihil quicquam quod afferat, habet, vnde etiam, quid eius gratia ſit reſtitutum, nihil omnino recenſet: cùm tamẽ hæc kalendarij noui præcipua pars ſit. De modo item correctionis, & quomodo æquinoctium vernum poſthac in 21. Martij conſeruari poßit: ſicut etiam de Epactis, quibus terminus Paſchalis inueniatur, omnino tacet. Ex quo facilis coniectura deſumitur, quòd ipſe nec veteris kalendarij lapſus, nec noui reformationem intelligat. Deinde quàm verſatus ſit in calculo Aſtronomico, ibidem ſatis demonſtrat. Aequinoctium vno die anticipare aſſerit in annis 120. ſumpto argumento ex anni quantitate, quam putat eſſe dierum 365. horarum 5. ſcr. 48. deficientem ſcilicet ſcrupulis 12. primis vnius horæ ab anno communi Iuliano, qui eſt dierum 365. cum ſex horis. Hinc dicit, in Concilio Nicæno inuentum fuiſſe æquinoctium præueniſſe 4476. ſcrupulis, hoc eſt, 74. horis cum dimidia & 6. ſcrup. quæ faciant 3. dies 2. horas cum dimidio & 6. minut. quare per multiplicationem Arithmeticam colligit, quòd æquinoctiorum anticipatio à tempore Nicæni Concilij, vſq; ad annum 1583. in annis ab eo elapſis 1255. ſit 15060. ſcrupulorum, hoc eſt, 251. horarum, quæ faciant 10. dies, 11. horas. Ecce ſubtilem Aſtronomum, quàm ſcrupuloſè omnia computauerit. Sed hac ipſa computatione fœdam ſuam inſcitiam in calculo Aſtronomico turpiter prodit. Nam nullæ tabulæ Aſtronomicæ extant, quæ metiuntur annum dierum 365. horarum 5. ſcrup. 48. hoc eſt, quæ præciſè faciant annum ſolarem minorem Iuliano, 12. ſcrupulis, ſed tàm Alphonſinæ quàm Prutenicæ numerant in anno, vltra dies & horas dictas 49. ſcrupulis 16. ſec. hoc eſt, faciunt annum ſolarem Iuliano minorem 10. ſcrup. 44. ſec. ferè.

C. F. D. Moguntinus.

Quæ

Quę differentia exigua quidem eſt vno anno, ſed ſæpius repetita fit maximè ſenſibilis. Hinc pro vnius diei anticipatione non ſufficiunt ęquinoctijs anni 120. ſed poſtulantur 134. anni, quod manifeſtum fit ex tabulis motuum, quibus cognoſcitur, quòd in annis 120. Iulianis, motus Solis compleat reuolutiones 120. & inſuper 52. ſcr. 55. ſec. vnius gradus, qui exceſſus adhuc ſatis procul abeſt à motu Solis vnius diei, qui eſt 5′9.8″. ferè. Ad 134. autem annos ſubductus calculus (addito ſimul dimidio die, propter annos duos vltra biſſextiles) complet 134. reuolutiones, & 5′9.8″. Hac ipſum, vt Mathematicũ (qualis omnino haberi vult, ſiquidem Mathematicis computationibus ſententiam ſuam defendere contendit) ignoraſſe non oportebat, quia hęc tyronibus nota eſſe conuenit. Deſtructo ergò fundamẽto eius, cętera ſua ſponte corruunt. Pręterea de ęquinoctiorum inęquali progreſſu, de quo ſuprà cap. 1. dictum eſt, ipſe magis mutus eſt, quàm piſcis. Quareocioſa & ſcrupuloſa eius ſupputatio, quę & falſa eſt, & ſi quid veri haberet, ad medios tantummodo motus pertineret, nimis infirma eſt, pro tuendo nouo Kalendario. Ad hęc, haud procul à fine ſcripti aſſerit, 10. dies illos in nouo Kalendario ſublatos eſſe ad exemplum Epiſcoporum concilij Nicęni, qui & ipſi tranſpoſitione trium dierum in Martio ſui temporis Kalendarium reſtituerint. Hoc autem eſſe falſiſſimum, notum eſt magis, quàm vt refutatione indigeat. Aequinoctium enim tum, ſicut in 21. Martij fuerat inuentum, ita ſine omni mutatione & tranſpoſitione ibidem eſt derelictum, nec etiam à patribus eius concilij quidquam de eo fuit ordinatum, &c. Hoc idem author, circa medium ſcripti, ipſemet aſſerit (in quo ſibi ipſi ſatis ridiculè contrariatur) quòd ſcilicet Epiſcopi ęquinoctium nõ reduxerint in 24. diem, ſed diem 21. obſeruandum ſtatuerint. Si ergò 21. dies Martij factus eſt limes paſchalis, vbi illa tridui tranſpoſitio? Inſuper ſatis iocosè nugatur, dum dicit, huius anticipationis cauſâ, agricolas ſæpius errore deceptos, operas ſuas cõueniente tempore non peregiſſe. Quęſo vbi hęc vnquam audita ſunt? Annè hęc anticipatio errorem inducere potuit operis ruſticis? Suntnè ruſtici aſueti ad tempora ea, quę ante 12. vel 13. centenos annos fuerunt vſitata, vt iam facta mutatione, pręſentium temporum operas cum illis antiquis, quibus aſueuerint, non ampliùs conferre poſſint? Cęteras eius ineptias iam diſcutere tędet.

Ioannes Raſch Viennenſis.

Cùm hęc ſcriberem, oblatus eſt mihi libellus cuiuſdam Ioannis Raſch Viennę degentis, impreſſus lingua germanica Monaci, hoc anno 1586. cuius libelli titulus promittit non tantùm explicationem noui Kalendarij, ſed etiam refutationem omnis generis obiectionum vulgi aduerſus hoc Kalendarium. Verùm cùm eas reſponſiones auidè quęrerem, tandem numero 12. ſub titulo, Epacta: inueni 5. obiectiones cum ſuis ſolutionibus, quarum prima eſt, quòd quidam

exiſtiment

exiſtiment aureum numerum retinendum (pro epactis) quia ipſe temporis ſucceſſu faciliùs quàm epactæ, ſecundum verum motum Lunæ variari & corrigi poſſit. 2. Quòd aureus numerus longo vſu magis ſit familiaris, ideoq́ʒ intellectu facilior, quàm ſint epactæ. 3. Quòd blumbeus ille numerus (aureum intelligit, qui diuturnitate temporis collapſus, blumbeus ſit factus) non toties falſus deprahendatur, quàm epacta, imò quòd epactæ rarò vera nouilunia demonſtrent, ſed vt plurimùm vno, ſæpè duobus diebus aberrent, &c. 4. Quòd aureus numerus non ſit tollendus, quia peculiarem in kalendario vſum habeat ad epactas inueſtigandas. 5. Si aureus numerus derelinquendus eſſet, propterea quòd falſus ſit, futurum, vt eodem fulmine Romano feriendæ aliquando ſint epactæ, propterea, quia nec ipſæ ſint perpetuæ, &c. Sed cùm de 4. ex his quinqʒ obiectionibus ego parùm ſim ſolicitus, nullius enim ſunt momenti, ideoq́ʒ nec reſponſiones eius dignas iudico, quæ huic loco inſerantur. Nihil enim habent, quam an aureus numerus in nouo kalendario retinendus ſit. Ad tertiam autem ex his reſpondet, quòd differentia illa dependeat partim à diuerſis initijs diei ciuilis, eos enim conſueta numeratione vulgus inchoat à media nocte, Aſtronomi verò à meridie: partim à motibus medijs & veris ſtellarum inter ſe diſcrepantibus, cùm autem epactæ motibus medijs congruant, non accuſari eas poſſe, etſi nonnunquam in veris motibus vnius diei diſcrimen compareat: partim à meridianorum diuerſitate, quæ & ipſa differentiam aliquam pariat. Sed quàm friuolæ ſint hæ ſolutiones, manifeſtum eſt ex priore parte cap. 2. huius ſcripti. Ibi enim poſiti numeri euidenter demonſtrant, quòd nulla in re, quam Raſchius recitat, ſit aliqua fallacia metuenda: Calculus enim illic ſubductus eſt ad dies ciuiles vulgò vſitatos, quorum termini non in meridiem, ſed in mediam noctem reponuntur: idq́ʒ factum eſt tàm in medijs quàm in veris motibus: nec ad alium atqʒ alium meridianum, ſed ad ſolum Meridianum vrbis Romæ, ad quem præ cæteris kalendarium hoc nouum, tanquam ad natale ſolum rectificatum eſſe oportebat. Sed nihilominus ibi vt plurimùm vnius diei, vel etiam bidui differentia cernitur inter calculum Aſtronomicum & epactas. Paſſim autem illo libro demonſtrare conatur, quòd Pontifex in kalendario nihil variauerit, ſed quòd iam poſt emendationem antiqua ſeries permaneat. Verum quid de toto illo libello ſit ſentiendum, ex eo erit colligendum, quòd autor nec fundamenta nec rationes noui kalendarij intelligit: cuius argumentum inde deſumitur, quòd ipſe cyclum Paſchalem dicit eſſe annorum 210. hoc eſt, ſepties triginta, ſed quia 11. epactarum loca inueniantur vacua, facit ipſe breuiſſimum cyclum annorum 133. hoc eſt, ſepties 19. annorum. Sed quomodo

hæc cum cyclo æquationum epactarum conueniant, ipſe viderit. Qualis quæſo iſte cyclus erit annorum 133. vel 210. cùm æquationes illæ, propter duas anticipationes, æquinoctiorum ſcilicet & lunationum, interrumpant ordinem, aliquando demum in 300. annis, aliquando in 200. vt plurimùm in 100. annis, qua interruptione aliæ epactæ alijs numeris in cyclo decemnouennali cedunt? Cum igitur epactæ, quæ ſunt paſchales termini, vagentur per omnes terminos aurei numeri, quis poterit inde certus cyclus paſchalis, annorum 133. conſtitui? Cùm ergò nec mentem Pontificis aſſequatur, nec etiam kalendarij rationes intelligat; facilè quilibet iudicare poterit, quid illud ſit futurum, quod pollicetur, ſe in alio quodam computo, quem etiam publicare velit, ad multa literatorum (de Mathematicis eum loqui puto) arguitur vel quæritur vtrum, reſponſurum eſſe. Quod ſi ergò ipſe ſe tàm egregium huius rei putet eſſe artificem, vt, ad Mathematicorum arguitur vel quæritur vtrum, rationes reddere ſciat: reſpondeat & mihi ad hæc mea arguitur vel quæritur vtrum, quæ hactenus hoc libello, vel etiam priori mea Dialexi, ineptijs & falſitatibus noui kalendarij oppoſui.

Ioan. Buſæus Ieſuita Moguntiæ. *Prodijt item anno præterito 1585. diſputatio apologetica pro nouo Kalendario, habita in Academia Moguntina ad 3. Idus Martias à Ioanne Buſæo Ieſuita. In qua ipſe ſibi perſuadet, ſe reuerendiſſimi viri, Domini Iacobi Heerbrandi, Theologiæ Doctoris & Profeſſoris in Academia Tubingenſi celeberrimi, diſputationem contra idem Kalendarium egregiè eluſiſſe & refutaſſe. Sed tota illa diſputatione nihil agitur, quàm quòd incertiſſima per incertiora probantur: quæ demonſtratione egent, pro confeſſis ſumuntur: quæ à noſtris ſexcenties ex Sacroſancta Scriptura abunde refutata ſunt, pro indubitatis habentur: Scripturæ teſtimonia in alienum ſenſum detorquentur, &c. Sed quia hic mihi propoſitum non eſt alias quàm Aſtronomicas tractare quæſtiones, ideo miſſas facio cætera diſputationis illius capita, qualia ſunt: An Pontifici Romano, eiq; ſoli cura corrigendi & promulgandi Kalendarij incumbat: an eius receptio ſit res adiaphora: an eius gratia libertas Chriſtiana, aut aliquis religionis articulus periclitetur: An Pontifex potuerit obſeruationem* Theſ. 60. *eius ſub anathemate præcipere: An mandata ipſius HVMANA (ipſe enim obſeruationem eius facit neceſſariam mandato SVO, hoc eſt, HVMANO,* Theſ. 78. *NON DIVINO) eiuſdem ſint autoritatis cum mandatis Dei de circumciſione & Baptiſmo, lege diuina præceptis. Item de carniſpriuio, de Romano Pontifice Antichriſto &c. De his mihi iam nihil eſt negocij, quandoquidem haud*

*haud dubio his & alijs Buſæi ineptijs propediem (ſi modò reſponſione dignæ
videantur) reſpondebitur. Verùm caput cauſæ primarium præterire ne-
queo. Hoc autem idem eſt cum principali pontificiorum argumento, de quo
hoc libro egi. In eo ipſo ſibi egregiè placet. Hoc, inquit, inter vtrumq; Kalenda-* Theſ. 39.
*rium intereſt, quòd vetus craſſiſſimum quendam errorem continet, nouum
verò ab illo errore eſt vindicatum, atque ideò illud reſpuendum, hoc amplectẽ-
dum. In nouo Kalendario* OMNIS ERROR & CORRVPTE- Theſ. 42
LA *ſublata eſt. Sed quàm inanis & futilis ſit hæc gloriatio, luce meridiana
clarius eſt ex hoc præſenti examine. Buſæus autem & cum ipſo alij, ſententiæ
huius, quemadmodũ ex tota diſputatione comparet, hæc habent fundamenta
1. Pontificis Gregorij* XIII. *autoritatem, à quo kalendarium nomen habet,* Theſ 5. 10.
*quia ab eo profecta & abſoluta ſit correctio erroris Mathematici, non ex inui-
dia aut contentione, ſed* CARITATE MERA, *vt Eccleſia Chriſti tanto* Theſ. 44.
*errore liberaretur. 2. Autoritatem Mathematicorum, quia error veteris ka-
lendarij non Theologorum, ſed Mathematicorum ſtudio & induſtria ſit ſub-* Theſ. 40. 6.
*latus, & quidem operâ Mathematicorum peritiſſimorum & ſapientiſſimo-
rum, qui ex primarijs Chriſtiani orbis nationibus delecti ſint. 3. Conſenſum
aliorum Mathematicorum, celeberrimarum Academiarum, ampliſſimo-
rumq; regnorum. Nam Matheſeos, inquit, gnari norunt, & multi ex ipſis non* Theſ 10.
*diffitentur, quòd ſcilicet errorem Iuliani kalendarij rectè correxerit Ponti-
fex. Academiæ verò celeberrimæ, quorum ſententiæ quæſitæ ſunt, hanc ratio-* Theſ 17.
*nem corrigendi itidem collaudarunt, nec Pontifex kalendarium publicauit
priùs, quàm earum conſentientes ſententias cognouerit. Regna item, ditiones
catholicæ, quiũ & Principes & Reges, Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Luſitaniæ, In-* In præfatione.
diæ, Polonia, Belgium, Hungaria, Sicilia, Anglia, Scotia, Suetia, correctio- Theſi 6.
nem kalendarij magno ſilentio receperunt, & mandato Pontificis promptiſſi- Theſ 27. 62. 168.
mè, haud grauatè, & dicto citius, felici ſucceſſu paruerunt. 214.

*Sed quàm malè materiatum ſit (vt verba Buſæi in ipſum retorqueam)
vniuerſum huius ratiocinationis ædificium, grauis hæc ruina hoc libro demon-
ſtrata, oſtendit. Fruſtra nititur Pontificis autoritate, quæ nimis infirma eſt,
ad craſſiſſimos errores tuendos. Nimium ipſe ſibi de ſapientia, peritia & indu-
ſtria Mathematicorum Romam conuocatorum pollicetur, ſed res mira, quòd
Buſæus eorum eximiam eruditionem tantis laudibus extollit, cùm, qui fue-
rint, neſciat, & quid præſtiterint, non intelligat. Nam nihil ipſi de eis, præter
nudam Pontificis relationem in (ventoſa) Bulla Kalendario præfixa poſſe*

 cogni-

cognitum, ex eo patet, quòd pro confirmatione ſuæ ſententiæ, præter illam Bullam nihil habet. Quid de aliorum Mathematicorum conſenſu ſentiendum ſit, hic liber docet. Turpe quidem dictu, ſed ſi modò vera fateri liceat: Miſera res eſt, quòd multi in Matheſi rudiſſimi, pro Mathematicis haberi volunt, ſibiq́; iudicium de rebus captum ſuum longè excedentibus arrogare non erubeſcunt (ex quorum numero etiam eſt Moguntinus ille C.F.D. de quo paulò antè, Buſæo haud dubio notus) qui tamen huius Kalendarij palpabiles abſurditates non animaduertunt. Dolenda res, quoſdam eas agnoſcere, nec pro patriæ ſalute velle palàm alios de eis monere, ſed ad nutum Pontificis, Kalendarium hoc mendoſiſſimum approbare, id Regibus, Principibus, Rebuſpublicis, Academijs, & toti orbi, commendare, & ad receptionem cohortari, &c. Fruſtra igitur Buſæus in ſinum ſuum gaudet, quòd Kalendarij reſtitutione ab
Theſ. 43.44. *errore liberatus ſit. Verùm, proſequatur ipſe Pontificem & correctores laudibus & gratiarum actione, & quoniam vetus Kalendarium vim diſtinguendi*
Theſ. 59. *tempora (ipſo dicente) amiſit, habeat ſuum nouum, fruatur eo. Sed tamen, quia victor nondum abire poteſt, nam fundamentum eius deſtructum iacet, ideò det operam, vt reliquo ſuo malè materiato ædificio proſpiciat.*

Theſ. 83. *Sed quid hoc eſt, quòd oportuit Pontificem mandato ſuo ſub excommunicatione receptionem præcipiendo, velut peſſulo ianuam claudere, vt ſcilicet Mathematicorum diſputationes terminarentur? Item quid eſt, quòd eru-*
Theſ. 170. *ditis & rerum Mathematicarum gnaris omnis porrò diſputandi occaſio hoc Pontificis anathemate eſt amputata? Rationem ipſe addit: quòd, inquit, in tanta ingeniorum, opinionumq́; de ratione corrigendi Kalendarij, vel rationem à Pontifice propoſitam non approbaſſent, vel Principibus autores fuiſſent, ne illam acceptarent. Quid obſecro, hoc eſt aliud, quàm diffidentia cauſæ propriæ, & contumelia in Proceres S. Romani Imperij? Etenim ſi à peritiſſimis, ſapientiſſimis, & eruditiſſimis totius orbis Chriſtiani Mathematicis correctio hæc profecta eſt: ſi iam antè Principes & Academiæ in hanc correctionem promptiſſimè conſenſerunt: ſi hæc correctio ſit perfectiſſima, nec vlli patrocinetur errori: annon ipſa per ſe magis fuiſſet grata animo libero, quàm fulmine anathematis coacto? quare ſubterfugit Pontifex aliorum Mathematicorum, & quidem peritorum docta iudicia? Non enim loquitur Buſæus de imperitis, qui de rebus his, velut cæcus de coloribus iudicant (quale Buſæi de hoc Kalendario iudicium eſt) ſed de ERVDITIS & RERVM MATHEMATICARVM GNARIS ipſi ſermo eſt. Sed horum erudita iudicia metuere, & anathemate profligare, profectò totam cauſam facit ſuſpectam.*

Deinde,

*Deinde, mi Buſæe, anne Proceribus Imperij, Regibus, Principibus, & Rebuſpub. de certitudine vel incertitudine noui Kalendarij quidpiam ex ſuis Mathematicis, quos publicis ſtipendijs fouent iuratos, quærere non vis eſſe liberum, vt, ſi reformatio Pontificia rectiſſima eſſet, ipſi eo maiori cum promptitudine in ſententiam Pontificis (ſi velint) deſcendant? Placet ne vobis huiuſmodi ſeruilia obſequia magis, quàm liberæ obedientiæ profectæ ex prompta voluntate & tranquilla conſcientia, quæ de re ipſa certa ſit? An Mathematicis non licet rem Mathematicam mathematicis rationibus examinare, & quid veri quid falſi habeat, inquirere? An poſtea ſi quid ſecus inuentum fuerit, non liceret ſecundum conſcientiæ dictamen patefacere? Imò anné veritas ipſa, cœlum & rerum natura, culpanda erunt, eodemq; anathemate ferienda, ſi quid aliud habeant, quàm quæ mandato Pontificio conſonant? Hæc certè omnia vno nexu copulata ſunt. Nam amputata doctis & peritis Mathematicis diſputandi occaſione: ipſis ſcientiæ Mathematicæ ſecreta inueſtigandi (loquor de ijs quæ ad Kalendarium pertinent) licentia amputatur: veritati, ne veritas ſit, præcipitur: Magnatibus verò ne de veritate certiores fieri cupiant, interdicitur: vel ſi etiam eam à ſuis Mathematicis expoſcant, tum hi, quomodo in rei veritate Kalendarij huius rationes ſe habeant, ne edisserant, pro- «
hibentur, ſed potius vt Pontifici in decipiendo toto Mundo coadiutores ſint, ſub «
indignatione Dei Omnipotentis aſtringuntur. Iam nunc, mi Buſæe, cogites «
tecum, qui nam ſint autores tantorum malorum, & turbarum, quæ huius fœdiſſimi Kalendarij gratia exorta ſunt, de quibus ſatis multa in tua diſputatione, ij né, qui vitioſi huius Kalēdarij receptionē recuſant, an qui ſub ſpecioſa promiſſione pro ouo ſcorpionem obtrudunt? Valeat ergo Kalendarium nouū, valeat eius anathema, quod totum Mundum vult ſuum eſſe mancipium.*

In fine diſputationis explodit Buſæus ſententiam Thobiæ Molleri. Mirū verò, quòd ipſe neglectis alijs, in ſolū hoc Molleri ſcriptum inciderit. Sed nimis præcipitanter ex ſola illa Molleriana inſtructione (cui tribuo, quantum ipſa ferre poteſt) concludit, quòd qui Kalendarium nouum impugnant, conentur vanis & falſis coniecturis lucem eius obſcurare, hoc enim ſcripto demonſtratum videt, quòd ipſum iam antè nimis ſit obſcurum. Quin potius iam omnes intelligunt, quàm vaniſſimis fundamentis nouum Kalendarium innitatur, & quàm ſubdolis technis ſubintruſum ſit.

Hæc cùm ita ſint, cùm coràm ſpectetis, vos Mathematici, quàm nihil certitudinis à nouo kalendario expectari poſſit, cùm in conſcientia veſtra conuicti

ſitis, quòd ipſum præter meritum defenderitis: Quid facietis? Conſilio obſecro parête fideli. Nolite ficulnea quærere erratis veſtris tegumenta, nolite falſitates eius vlterius tanta pertinacia excuſare. Erraſſe quidem vos pœniteat, ſed in errore agnito perſiſtere pudeat. Quare oro vos per caput veſtrum, parcite vobis ipſis, nam alioqui fœdam hanc maculam pertinacis & obſtinati animi, emendationem non admittentis, nunquam abluetis. Vos per omnia ſacra obſecro: parcite toto Mathematicorum auguſto noſtro ordini, in quo, per gratiam Dei, hoc noſtro ſeculo quàm plurimi viri, pietate & inſigni eruditione præſtantiſſimi inueniuntur: Qui omnes propter vos malè audire coguntur. Nam vbique terrarum diſcordiarum & malorum, huius gratia exortorum, culpa nemini, niſi Mathematicis tàm inſontibus, quàm nocentibus inuritur, quaſi propter ſolœciſmum aliquem Aſtronomicum ipſorum gratia tollendum & corrigendũ, tot, tantæq́; funeſtæ turbæ hactenus excitandæ fuerint: Cùm tamen nemo, niſi hoc nomine minus ſanus, vllam in Kalendario correctionem, multò minus tam horrendas turbas, hac correctione mouendas expetiuerit. Quin potius per miſericordiam Dei omnipotentis vos obteſtor, date gloriam Deo, agnoſcite errores hos, in quos forſan ex imprudentia incidiſtis, nolite veſtris conſilijs vnanimem Eccleſiæ, hoc in genere, concordiam, quæ vltra mille annos inuariata in Romano imperio conſtitit, poſthac, violare. Nulla vel vos vel quenquam alium vrget neceſſitas (niſi forſan deteſtanda libido) huiuſmodi per Kalendarium nouum diſſidijs Eccleſias diuellere: nemini conducit hoc Kalendarium, niſi forſan Clericis in officijs ſuis peragendis: At contrà hac ipſa via communiter lites oriuntur in Eccleſijs, turbantur politiæ, confunduntur liberales ſcientiæ, præſertim Mathematicæ noſtræ: quin & iſtis moleſtia non exigua imponitur, quibus hoc ipſum Kalendarium profuturum putatur: Quid enim oblectationis inde habebunt, cùm nulla in eo ſit certitudo, ſed craſſis & palpabilibus abſurditatibus refertum ſit. Parcite ergò populo Dei ſancto, parcite ciuili hominum conſuetudini, parcite nobiliſſimis noſtris ſcientijs. Satis ſuperq́;, & plus quàm ſatis malorum hactenus eſt excitatum, quæ ſi quis adaugere voluerit, & ſi aliquantiſper ſe id impunè poſſe ferre ſperet, vindictam tamen Dei omnipotentis non effugiet. Deum Patrem Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti ardentibus precibus adoro, vt ipſe cum Spiritu ſuo ſancto clementer nobis adeſſe, nos protegere, corruptelas auertere, & hiſce malis exoptatum finem imponere dignetur.

A M E N.

Ad Lectorem.

HOc libello, candide lector, duo præſtitimus. Primò, Kalendarij noui, cuius reformatio toti Mundo, vt perfectiſsima obtruſa eſt, errores craſsiſsimos & intollerabiles deteximus: atq; ſic promiſsioni, in fine ante cõcluſionem Dialexeos noſtræ germanicæ, ſatisfactum exiſtimamus.

Deinde vt hoc pleniùs fieret, interſeruimus Kalendarij noui præcipuorum canonum vſus & fundamenta, vnâ cum præcipuis tabulis. Ratio huius redditur pag. 15. § Placuit. & pag. 29. § Sed vt. Qualia ſunt.

Inuenire numerum cycli ſolaris cuiusq; anni, pag. 17.

Inuenire literam dominicalem tam in veteri quàm nouo Kalendario, pag. 12. & 13.

Ratio quare in nouo kalendario cyclus ſolaris, ſeu literarum dominicalium interrumpatur, hoc eſt, Fundamenta tabulæ æquationis cycli ſolaris antiqui, pag. 12.

Inuenire Aureum numerum cuiuſq; anni, pag. 30.

Ratio compoſitionis, ſeu fundaméta tabulæ æquationis epactarum, pag. 32.

Inuenire terminum & Dominicam Paſchalem, pag. 40.

Quòd ſi quorundam inueſtigatio in kalendarij noui Canonibus duplici modo haberi poteſt, nos huc ſimpliciorem tantùm & faciliorem poſuimus, alterum data opera præteriuimus. Hinc tabulam nouam Paſchalem omiſimus.

Præterea tabulas Epactarum diſtributarum per ſingulos dies omnium menſium totius anni iuxta martyrologium, omiſimus, quanquam ea diſtributio ſit vnum ex principalibus noui kalendarij capitibus: ſed rationem eius reddidimus, pag. 55. lin. 17.

M.
M. M. M.
G.